Sac. SEBASTIANUS FRAGHÌ

DE MEMBRIS ECCLESIAE

DISSERTATIO
AD LAUREAM
IN FACULTATE S. THEOLOGIAE
APUD PONTIFICIUM INSTITUTUM "ANGELICUM,,
DE URBE

ROMAE - 1937

Vidimus et approbavimus.
Romae, apud Pont. Institutum « Angelicum »,
die 17, mense maio, anno 1937.
P. ANTONINUS SILLI O. P.
P. SERAPHINUS ZARB O. P.

Ex Vicariatu Urbis, die 30 Iunii 1937.
Imprimatur
+ ALOYSIUS TRAGLIA, Archiep. Caesariensis
Vicesgerens.

Azienda Tipografica Editrice Nazionale Anonima

PRAEFATIO

Quaestio « de membris Ecclesiae », quae prima fronte facilis videri potest, vere talis non est.

Argumentum enim multa et varia elementa continet quae possunt considerari sub uno vel sub alio aspectu, quaeque proinde adducere possunt hominem incautum inter erroris scopulos.

Difficultas praesertim ex eo provenit quod Ecclesia, cum sit societas prorsus singularis, elementum divinum et elementum humanum in se habet; periculum adest ne quis recte iudicet — vel ad elementum humanum magis attendens, vel potius elementum divinum considerans.

Etiam membrum — ut planum est — duorum elementorum particeps fit; unde ad utraque elementa oportet animum attendere.

Semper ad hoc solliciti fuimus in nostra dissertatione, cuius momentum non est certe in expositione alicuius novae pulchraeque sententiae — quid ceterum novi sub sole? — sed potius in ordinatione logica doctrinae.

Nam imprimis nostra inquisitio erit circa naturam corporis mystici, cuius caput est Christus, Spiritus Sanctus anima, membra elementum visibile.

Deinde erit sermo de natura veri membri, statuentes condiciones ut quis realiter et complete pertineat ad hoc corpus mysticum.

Denique disseremus de causis vinculum unionis cum Ecclesia solventibus.

Utinam bonae intentioni respondeat exitus operis.

BIBLIOGRAPHIA

ANGER IOSEPHUS, *La doctrine du corps mystique de Jesus Christ;* Paris, Beauchesne, 1929.

BAINVEL I. V., *De Ecclesia Christi;* Parisiis, Beauchesne, 1925; p. 106-121.

BAINVEL I. V., *Hors de l'Eglise pas de salut;* Paris, Beauchesne, 1913.

S. BELLARMINUS ROBERTUS, *De Controversiis;* Neapoli, Ios. Giuliano, 1856 ; t. II, lib. III, c. 1-10.

BILLOT card. LUD., *De Ecclesia Christi;* Romae, Univ. Greg., 1921 ; q. VII.

BILLUART CAR. REN., *Summa S. Thomae;* Parisiis, Guyot, 1852 ; t. V, *De Regulis Fidei.*

DE LUGO card. JOANNES, *Disputationes Scholasticae;* Parisiis, Vives, 1891 ; I, disp. 17-20.

DIECKMANN HERMANNUS, *De Ecclesia Christi;* Friburgi Brisg., Herder, 1925 ; II, c. 3, D.

DORSCH AEMILIUS, *De Ecclesia Christi* ; Oeniponte, Fel. Rauch, 1928 ; p. 437-503.

FRANZELIN card. IOANNES BAPTISTA, *Theses de Ecclesia Christi,* opus postumum ; Romae, Poliglotta, 1907 ; Thes. 22-25.

GROOT (de) I. V., *Summa Apologetica de Ecclesia Christi* ; Ratisbonae, G. I. Manz, 1906 ; p. 63-86.

HERBIGNY (d') MICHAEL, *Theologica de Ecclesia;* Parisiis, Beauchesne, 1928 ; II, Thes. 30-34, p. 257-282.

HURTER H., *Theol. Dogm. Compendium;* Oeniponte, Libr. Wagneriana, 1909 ; I, p. 268-283.

HUGON ED., *Hors de l'Eglise point de salut;* Paris, Tequi, 1914.

MARMION D. COLUMBA, *Cristo, Vita dell'anima;* Milano, Vita e Pensiero, 1921.
MUNCUNILL IOANNES, *Tractatus de Christi Ecclesia;* Barcinone, Libr. Relig., 1914 ; p. 519-548.
MURRAY PATRITIUS, *De Ecclesia Christi;* Dublini, Mc Glashah et Gill, 1860 ; I, p. 143-209.
PERRONE IOANNES, *Prelectiones Theologicae* ; Romae, Coll. Urbano, 1840 ; II, p. 41-90.
PRAT F., *La Théologie de S. Paul;* 2 vol. Paris, Beauchesne, 1927-1929.
PLUS RAOUL, *Dans le Christ Jesus;* Toulouse, Apost. de la prière, 1925.
PLUS RAOUL, *Le Christ dans nos frères;* ibid., 1925.
PALMIERI DOMINICUS, *Tract. de Romano Pontifice cum proleg. de Ecclesia;* Prati, Giacchetti, 1902 ; p. 40-57.
SAN (de) LUDOVICUS, *Tract. de Ecclesia et Romano Pontifice;* Brugis, Beyaert, 1906; p. 257-321.
SEGNA Card. F., *De Ecclesiae Christi const. et regim;* Romae Forzani, 1900.
SCHULTES REG., *De Ecclesia Christi;* Parisiis, Lathielleux, 1931, p. 87-98.
SUAREZ FRANCISCUS, *Opera omnia* ; Parisiis, Vives, 1856 ; t. XII, *De Fide*, dis. 9.
STRAUB ANTONIUS, *De Ecclesia Christi;* Oeniponte, Fel. Rauch, 1912 ; II, Thes. 30-34, p. 589-700.
TEPE BERNARDUS, *Institutiones Theologicae;* Parisiis, Lathielleux, 1895 ; I, p. 363-383.
TROMP SEBASTIANUS, *De Spiritu Sancto, anima corporis mystici* : I, Testimonia selecta e Patribus graecis ; II, Testimonia sel. e Patr. lat. ; Romae, Univ. Gregor, 1932.
WILMERS GUILELMUS, *De Christi Ecclesia;* Ratisbonae, Pustet, 1897 ; p. 619-660.

Etiam aliis epitomis « De Ecclesia Christi» tractantibus, in quibus caput « de membris Ecclesiae » semper adest, utiliter usi sumus.

INTRODUCTIO

Iesus Christus, Filius Dei vivi, in hunc mundum venit ad salvandum genus humanum ; propterea, ut suam divinam missionem usque ad finem mundi continuaret, instituit Ecclesiam.

Christus iam ab initio vitae publicae de novo Regno loquitur : « Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum caelorum » (1). Hoc Regnum initio minimum est, instar grani sinapis, dein tam mirum incrementum habebit ut « multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac in Regno caelorum » (2).

Hoc Regnum est mere religiosum, non politicum : « Regnum meum non est de hoc mundo » (3) ; sed simul est sociale : est enim velut ager in quo cum bono semine crescit zizania (4) ; velut sagena missa in mare, ex omni genere piscium congregans (5) ; velut convivium nuptiale in quo cum bonis est indignus (6) ; velut grex cuius pastor est Christus (7).

(1) Mt., IV, 17.
(2) Mt., VIII, 11.
(3) Ioan., XVIII, 36.
(4) Mt., XIII, 24-30.
(5) Mt., XIII, 47- 50.
(6) Mt., XXII, 14.
(7) Ioan., X, 14-16.

Jesus, praedicatione Regni et miraculis, multos sectatores sibi comparavit. Multitudines gentium, saepe terrena et cibum neglegentes, ad eius transitum ita accurrebant, ut summi sacerdotes et pharisei, quaerentes eum tenere, turbam timerent (1).

Sed Christus non intendit tantum excitare motum aliquem religiosum, informem et transeuntem, sed vult societatem veram cum hierarchia efformare. Quapropter aliquos ad suam sequelam invitat, continenter cum eis peregrinatur per oppida et per castella, eos publice agnoscit et defendit, atque cum eis vivit vitam quasi communem.

Deinde e discipulis eligit duodecim apostolos (2), quos maxima cura docet, et ad arctiorem sequelam vocat; et dum eos ad praedicandum mittit, ut signum legationis eis dat potestatem miracula patrandi. Insuper eis promittit et dat potestatem regendi, sanctificandi et docendi (3); et post resurrectionem eos constituit vicarios totius suae missionis suique operis: « sicut misit me Pater et ego mitto vos » (4). Petrum constituit fundamentum Ecclesiae: « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » (5); ei supremam auctoritatem promittit et postea revera confert: « ....et tibi dabo claves Regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis » (1); « pasce agnos meos... pasce oves meas » (2).

(1) Mc., XII, 12.
(2) Lc., VI, 12-13.
(3) Mt., XVIII, 18; XXVIII, 18; Ioan., XX, 23; Lc., XXII, 19; Mc., XVI, 14-15.
(4) Ioan., XX, 21.
(5) Mt., XVI, 18.

Antequam ad caelos ascenderet, Jesus, modo solenni, apostolis dedit mandatum evangelizandi omnes gentes: « euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (3).

Ultimo Ipse apostolis promittit assistentiam suam: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (4); promittit et assistentiam Spiritus Sancti: « et rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis » (5).

Tali modo Iesus, tempore suae vitae, annuntiavit et praeparavit novum Regnum, nempe Ecclesiam; per suam mortem, scisso vetere contractu, initum est novum foedus inter Deum et homines. Dies perfectae nativitatis Ecclesiae fuit dies Pentecostes, quando Spiritus Sanctus organismum Ecclesiae iam formatum animavit, suam cuique organo tribuens operationem totique corpori vitam et vigorem et incrementum continuum. (6).

Tali modo Christus instituit Ecclesiam in qua « velut in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur » (7): ad quam omnes homines ac-

(1) Mt., XVI, 19.
(2) Ioan., XXI, 15-17.
(3) Mt., XXVIII, 18-20.
(4) Mt., XXVIII, 20.
(5) Ioan., XIV, 16-17.
(6) Cf. Hermannus Dieckmann, *De Ecclesia*, n. 246.
(7) Conc. Vat., sess. IV; Denziger-Bannwart, *Enchry. symb. et def.* (1932) n. 1821.

cederent et per quam tandem ad vitam aeternam pervenire possent.

Ab ipso Christo haec societas nomine «ecclesiae» designata fuit: «aedificabo Ecclesiam meam» (1).

Ne confusio oriatur, cum de membris Ecclesiae sermo sit, sensum huius verbi «ecclesia» definiamus.

Etymologice nomen «ecclesia» a verbo «ekkalèo» (evoco) derivatur, et significat coetum eorum qui per vocationem in unum convenerunt.

Usu profano hoc nomen designabat praesertim convocationem populi per praeconem factam ad comitia agenda de rebus publicis civitatis (2).

In Scriptis Novi Testamenti sensu non christiano haec vox ter tantum habetur (3); in aliis textibus semper ad christianos refertur et designat vel coetum christianorum cum aliqua determinatione: «ecclesiae quae erat Ierosolymis...» (4); vel, et hoc saepissime fit, societatem universalem religiosam a Christo fundatam (5); vel aliquando praepositos huic societati (6); vel aliquando multitudinem his praepositis submissam (7).

Apud Patres, praeter has acceptiones, hoc nomen aliquando designat vel totam multitudinem vere Deum colentium a principio mundi usque ad finem: hoc sensu locuti sunt v. g. S. Augustinus, S. Gregorius Magnus et

(1) Mt., XVI, 18.
(2) Thucidides, *Historiae*, I, 87; II, 22; IV, 37.
(3) Act., VII, 38; XIX, 32, 39, 40; Hebr., II, 12.
(4) Act., XI, 22; Cf. inscriptiones epistularum S. Pauli.
(5) Mt., XVI, 18; cf. *Act.*, V, 11; et passim per epist. Pauli.
(6) Mt., XVIII, 17.
(7) Act., XX, 28.

S. Thomas (1); vel aliquando etiam totam multitudinem Christo adhaerentium et in caelis, et in purgatorio et in terris: ita aliqui Patres locuti sunt interpretantes illud Pauli: «ipsum (Christum) dedit caput supra omnem Ecclesiam» (2): hi enim omnes cum Christo iunguntur vinculo gratiae, auxilii, precum et formant communionem Sanctorum.

Determinatione magis specifica Ecclesia dividitur in militantem, quae complectitur fideles adhuc in via constitutos; in patientem, quae complectitur iustos in purgatorio degentes; in triumphantem, quae complectitur sanctos angelosque in caelo Deo fruentes.

Notandum tamen, quando de Ecclesia stricto et proprio sensu sermo sit, omnes hoc nomine designare illam societatem a Christo in terris institutam — nempe Ecclesiam militantem — quae habet ut Caput visibile, Romanum Pontificem et ut membra, omnes veros Christi fideles.

Etiam nos hac ultima significatione de Ecclesia loquimur. Et proinde, ut melius variae quaestiones explanentur, dicemus:

1º de natura corporis Christi mystici;

2º de natura veri membri huius corporis;

3º de causis vinculum initum per baptismum dissolventibus;

4º de dignitate et de officiis eorum qui bonitate Dei membra huius corporis mystici sunt.

(1) S. Augustinus, *Enarratio in Psalm.*, 90, 2, 1; ML 37, 1069; S. Greg., *Epist.*, V. 18; ML 77, 740; S. Thomas, *Sum. Theol.*, III, q. 8, a. 3.
(2) *Ephes.*, I, 22.

CAPUT I.

DE ECCLESIA, CORPORE CHRISTI MYSTICO

Cum membrum sit pars alicuius corporis, antequam disputatio de membris Ecclesiae ponatur, necesse est dicatur aliquid de ipso corpore Christi mystico, ut postea facilius et magis logice variae quaestiones evolvantur.

A) De Ecclesia, corpore Christi

Ipse Christus proiecit fundamenta doctrinae de corpore mystico quando affirmavit se vivere in paupere, in parvulo, in aegroto, in captivo et in omnibus indigentibus : « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.... ; quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis » (1). Discipulis aliquando dixit : « Manete in me : et ego in vobis » (2). Et ne putaremus Iesum loqui tantum de aliqua unione mere morali, Ipse subiungit : « Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere » (3). Hac mirabili comparatione Christus clarissime indicat quam intima sit unio inter se et fideles : vitis et palmites vivunt eandem vi-

---

(1) Mt., XXV, 40-45 ; Cf. etiam Mt., X, 42 ; XVIII, 5.
(2) Ioan., XV, 4.
(3) ib., v. 5.

tam, aluntur eodem succo et efficiunt unum esse; unio haec est conditio ut quis fructus afferat.

S. Paulus in suis epistulis saepe loquitur de unione quae exsistit inter Christum et Ecclesiam, in hac unione insistens velut in veritate fundamentali quae magnam proiicit lucem in tot quaestiones et simul magnam affert cordi nostro laetitiam quia nobis ostendit nostram mirabilem dignitatem.

Variis comparationibus Apostolus utitur ad melius hanc veritatem exprimendam: aliquando Ecclesia comparatur aedificio alicui cuius fundamenta sunt Apostoli, cuius summus angularis lapis est Christus Iesus (1); aliquando comparatur cuidam familiae, cuius Christus est vir, Ecclesia est sponsa (2); aliquando Christus ipse comparatur arbori, in quam nos inserti sumus, socii «radicis et pinguedinis olivae» facti (3).

Sed imago quae frequentissime inter omnes recurrit est illa quam sumit ex organismo humano: Ecclesia est corpus, Christus est caput; Christus cum Ecclesia unum efficit: de hoc agit in epistola I ad Corinthios, in epistola ad Romanos et praesertim in epistola ad Ephesios, in qua argumentum principale est unio fidelium cum Christo et in Christo: etiam in aliis epistolis haec doctrina communis est.

S. Paulo data fuit gratia «illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo»; quod sacramentum «aliis generationibus non est agnitum filiis hominum»; quod vero ipse Apostolus nunc omnibus manifestat praedicans Christum mortuum esse in cruce

(1) *Ephes.*, II, 19-22.
(2) *Ephes.*, V, 23.
(3) *Rom.*, XI, 17.

ut gentes essent «coheredes, et concorporales, et comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per evangelium» (1).

Haec veritas semper fulget in argumentationibus Apostoli: aliquando explicite, aliquando implicite tantum; et multa etiam corollaria S. Paulus deducit quoad vitam religiosam et moralem, quia doctrina de corpore Christi non tantum theoretice credenda est, sed et reapse vivenda.

Aptissime ab Apostolo Ecclesia vocatur corpus, cuius membra fideles sunt. «Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra» (2).

Corpus humanum constat ex multis membris quae singillatim proprium habent officium, sed ad unum tendunt quia inter se intime connectuntur et organice agunt, propter quod loqui possumus de multis membris et de uno corpore: «Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?... Quoniam si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus» (3).

Et clare apparet ratio propter quam Ecclesia a S. Paulo vocatur corpus. Christus instituit Ecclesiam, societatem perfectam: porro omnis societas dici potest corpus propter quandam similitudinem exsistentem inter societatem ordinatam et corpus physicum. Olim Menenius

(1) Cf. *Ephes.*, III, 5-9.
(2) *Rom.*, XII, 4-5.
(3) 1 *Cor.*, XII, 14-20.

Agrippa hac comparatione usus est ad plebem romanam placandam, felici cum exitu, ut narrat Titus Livius (1).

Corpus etenim physicum ex multis et variis membris constat et tamen unum est quia membra coniuncta sunt vinculis tum externis tum internis et ad unum conspirant ; ita quaelibet societas, multis et variis membris composita, una est moraliter propter eundem finem, easdem leges eandemque auctoritatem : unde societas, corpus morale vocatur.

Haec omnia perfectius et modo eminentiore Ecclesiae applicanda sunt quia perfectior et intimior in ea datur unitas propter eius intrinsecum principium vitale, nempe propter eius animam quae est Spiritus Sanctus.

Unde *mysticum* hoc corpus vocatur, quia in Ecclesia est unio prorsus singularis, quae certe non est physica : negamus enim Ecclesiam hypostatice uniri cum Verbo et simul distinguimus Ecclesiam a corpore Christi physico, quod in sinu Virginis Mariae formatum fuit ope Spiritus Sancti ; sed simul unio haec non est tantum moralis : adest enim aliquid maius quam simplex unio intellectuum et voluntatum : adest nempe vita vera, intima quae a principio supernaturali procedit, descendens a capite in membra et omnia membra in unitatem redigens.

Aptissime *mysticum* hoc corpus vocatur, quod medias partes tenet inter corpus physicum et corpus morale : nam hoc nomen « mysticum » designat signum sensibile realitatis occultae et divinae. In Ecclesia signum sensibile est corpus sociale : realitas occulta et divina est vita

(1) *Hist.*, II, 23.

intima et supernaturalis ; mirabilis activitas corporis socialis Ecclesiae clarissime monstrat praesentiam huius vitae supernaturalis et influxum Spiritus Sancti.

Illud vocabulum, quod non est apud S. Paulum nisi quoad sensum (1), non significat hoc corpus esse aliquid irreale vel ideale (2), sed hoc proprie vult indicare : « corpus hoc gigni mysterio, mysteriis ali, foveri, regi, mysteriis redundare » (3).

Caput huius corporis mystici est Christus. « Et omnia subiecit sub pedibus eius et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam quae est corpus eius » (4) ; « Christus caput est Ecclesiae » (5).

Locutio paulina optime nobis indicat relationes inter nos et Christum : sunt relationes quae intercedunt aliquomodo inter caput et membra. Maxima unio inter caput et corpus ; maxima unio ergo inter Christum et Ecclesiam .

In primis praeter identitatem naturae, caput habet eminentiam, non tantum positione, sed perfectione et directione, quia in capite sunt omnes sensus et organa principaliora et ipsum dirigit omnes actus corporis. Ita Christus qui habet eandem naturam membrorum, eminet *loco* : est homo-Deus, ipsa humanitas gloriose stat ad

(1) *Colos.*, I, 24-26.

(2) « C'est une réalité de l'ordre morale, mais une réalité veritable, puisqu'elle est le sujet d'attributions, de propriétés et de droits. Mystique n'es pas l'opposé de réel, et il y a des réalités en dehors de ce qu'on palpe et de ce qu'on pèse ». F. Prat S. I., *Theologie de Saint Paul* (1927) I, pag. 360.

(3) H. Hurter, *Dissertatio de Ecclesia, Corpore Chr. Mystico*, n. 14, in « *Patrum opuscola selecta* », vol. XXVII, p. 28.

(4) *Ephes.*, I, 22-23.

(5) Ib., V, 23.

dexteram Patris; eminet *perfectione*, quia Christus scientiam et sapientiam incomprehensibilem habet una cum plenitudine potestatis; eminet *directione*, quia Christus assistit et dirigit Ecclesiam nec ullum munus capitis praetermittit, quia eam diligit: « Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius » (1).

Deinde ex capite fluit omnis vis vitalis in membra. Ita e Christo profluit in nos omnis gratia et virtus: « Et de plenitudine eius omnes nos accepimus » (2). Christus enim sua passione causa fuit nostrae salutis, quia Ipse pro nobis satisfecit et pro nobis meruit. Christus passus est ut Caput Ecclesiae et proinde « non solum sibi sed etiam omnibus membris suis meruit salutem » (3); propter hoc satisfactio et meritum Christi facta sunt nostra quia « caput et membra sunt quasi una persona mystica et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra » (4).

Caput ita coniunctum est cum corpore ut unum efficiant.

Apud S. Paulum coniunctio inter Christum et Ecclesiam tam intima apparet ut ipsum nomen « Christus » convertatur ad Ecclesiam: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra cum sint multa, unum tamen corpus sunt: *ita et Christus* » (5). Ad rem pulchre S. Ioannes Chrysostomus: « Et cum oportuisset dicere « ita et Ecclesia » (hoc enim conse-

(1) *Ephes.*, V, 29-30.
(2) 2 Ioan., I, 16.
(3) S. Thomas, *Summa Theol.*, III, q. XLVIII, a. 1.
(4) *Summ. Theol.*, loc. cit., a. 2; ad 1um.
(5) *1 Cor.*, XII, 12.

quens erat), hoc non dixit, sed illius loco Christum ponit, in altum extollens orationem. Hoc autem vult significare: ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus eius sic vocans » (1). Et Sanctus Thomas: « Ea quae pertinent ad membra dicit Christus de se, propter quod sunt sicut unum corpus mysticum, Christus et Ecclesia; et ideo loquuntur sicut una persona et Christus transformat se in Ecclesiam et Ecclesia in Christum » (2).

S. Paulus ad melius indicandam unionem inter Christum et Ecclesiam usus est comparatione clarissima: in hac vita unio inter omnes arctissima est ea quae habetur in matrimonio, in quo duo fiunt una caro, et unus fit alterius et ambo velut partes totius propter habitudinem amoris, communicationis, vinculi indissolubilis, et inde fit ut bona unius sint bona et alterius. S. Paulus vidit in hac unione signum et symbolum magni mysterii: unionis nempe Christi cum Ecclesia: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia » (3). Quapropter sicut vir est caput mulieris, ita Christus est caput Ecclesiae; sicut ex parte Ecclesiae est subiectio Christo, ita ex parte mulieris sit subiectio viro suo; et vicissim sicut Christus diligit Ecclesiam ita vir diligat uxorem.

Propter tam arctam unionem intelligitur quomodo Christus dicatur pati vel operari quae singula membra patiantur vel operentur. Saulus, spirans minarum, petit

(1) *In 1 Cor.*, XII, 12; Hom. 30, n. 1; M G 61, 250.
(2) *In Psalm.*, XXI, 1.
(3) *Ephes.*, V, 32

Damascum ut Christi asseclas vinctos duceret Ierusalem. Sed lux, sole splendidior, eum circumfulsit et vox audita est: « Saule, Saule, quid *me* persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, *quem* tu persequeris » (1). Paulus persecutor Christifidelium, persecutor vocatur Iesu; offensio in membra etiam in caput redundat.

Propter tam arctam unionem intelligitur etiam cur — iuxta S. Paulum — iam Christus adaequate concipi nequeat absque Ecclesia, « quae est corpus ipsius et *plenitudo* eius qui omnia in omnibus adimpletur » (2). Ecclesia vocatur « plenitudo (pleroma) », id est, iuxta communem interpretationem, *complementum*, quia dicit S. Ioannes Chrysostomus: « complementum capitis est corpus, et complementum corporis est caput » (3).

Revera Ecclesia Christo Capiti praebet membra per quae agat. Sicut anima humana non posset suas operationes plene exercere sine corpore, ita etiam Christus nequit operationes Capitis plene exercere sine Ecclesia (4).

Ex his omnibus apparet quomodo Ecclesia sit societas prorsus singularis, quae nequit univoce societas cum aliis societatibus vocari, sed eminentiore modo, quia in ea unio singularis ac intimior quam in aliis societatibus habetur, derivans ex anima quae Caput et membra coniungit, seu ex Spiritu Sancto, anima corporis Christi mystici.

---

(1) *Act.*, IX, 5.
(2) *Ephes.*, I, 22-23.
(3) *In Ephes.*, I, 22-23.
(4) Cf. S. Thom., *In Ephes.*, V, sub lect. 8.

B) De Anima Corporis Christi

Ecclesia est corpus Christi, corpus non mortuum sed vivum, illa vita praeditum quae tam mirabiles effectus producit; vita vero supponit principium vitae nempe animam.

Inter Theologos non una est sententia circa animam Ecclesiae.

Dominicus Palmieri affirmat in Ecclesia esse duplicem vitam, quatenus nempe est societas externa, visibilis, et quatenus est societas supernaturalis: anima Ecclesiae, quatenus haec est societas visibilis, dici potest auctoritas; quatenus est societas supernaturalis, corpus constituitur primo et formaliter ministerio ecclesiastico, magisterio et imperio cum respondenti subditorum fidei professione, communione sacramentorum et subordinatione voluntatum; secundario et materialiter constituitur ex singulis fidelibus; anima vero constituitur ex dono supernaturali creato e Christi influxu in nos descendente. « Anima est id quod procedit ex influxu supernaturali quo Christus vivificat et unit sibi membra sua ut operari valeant ad salutem. Hoc autem interius est, inhaerens ad modum causae formalis, principium existens operationum supernaturalium. Huiusmodi... sunt dona interiora fidei, spei, caritatis, gratiaeque sanctificantis, ceterarumque virtutum cum ea connexarum » (1).

Notatu dignum est — iuxta hanc opinionem — gratiam primo et per se conferri singulis membris et per membra corpori. Unde — ut bene dicit Michael d'Herbi-

---

(1) D. Palmieri, *De Romano Pontifice, cum prolegom. de Eccl.*, § 11, p. 40. 41.

gny — « membra.... etiam qua talia, videntur prius esse et vivere quam corpus » (1).

Insuper charismata, ut donum linguarum, prophetiae etc., ad corpus potius pertinent; gratia actualis, si coniungitur cum gratia habituali, pertinet ad animam, secus nec ad animam nec ad corpus.

Guilelmus Wilmers, diverso modo, eandem doctrinam exponit (2). Anima Ecclesiae praecipue etsensu stricto est gratia sanctificans; remotius et sensu latiore alia dona supernaturalia, ut sunt habitus infusi, gratia actualis, character sacramentalis, potestas iurisdictionis, dona charismatica, magis minusve rationem animae participant. Corpus autem constat ex elemento visibili, seu ex ordine ecclesiastico a Christo instituto: ex unius nempe fidei professione, eorundem sacramentorum communione et subiectione eidem legitimae auctoritati. Ideo anima Ecclesiae se habet ad corpus, non ut elementum divinum ad mere humanum, sed sicut ordo divinus invisibilis ad ordinem divinum per se visibilem .

Alii multi cum Michaele d'Herbigny, Aemilio Dorsch, et Hermanno Dieckmann, aliam sententiam, quae clarior et rationi traditionique conformior est, defendunt (3).

Iuxta hanc sententiam — cui etiam nos adhaeremus — elmentum externum, visibile, materiale constat ex omnibus et singulis membris et simul ex vinculis externis; elementum autem formale, principium totius vitae in Ecclesia, varia membra ad unitatem redigens, Spiritus

(1) *Theol. de Eccl.*, Thes. XXX. n. I.
(2) *De Ecclesia Christi*. n. 51-59.
(3) Cf. M. d'Herbigny, *Theol. de Eccl.*, Th. XXX; Aem. Dorsch, *De Eccl. Chr.*, p. 447-452; Herm. Dieckmann, *De Eccl. Chr.*, n. 952.

Sanctus est; cetera dona supernaturalia, ut fides, spes, caritas, gratia sanctificans, charismata, sunt effectus huius primi principii, quae operantur instar facultatum in corpore nostro, dum Spiritus Sanctus instar animae operatur.

Dicitur « instar animae », quia sicut Christus vocatur caput Ecclesiae per analogiam, ita analogice dicitur Spiritus Sanctus anima Ecclesiae; unde non dicimus Spiritum Sanctum informare Ecclesiam, quia — ut clarum est — corpus morale incapax est informationis, sed tantum affirmamus Spiritum Sanctum producere in Ecclesia similes effectus ac animam in corpore nostro.

Notandum etiam per appropiationem Spiritum Sanctum vocari animam Ecclesiae, quia, quamvis revera tota SS.ma Trinitas vivificet Ecclesiam, tamen opus perfectionis et sanctificationis per appropriationem tribuitur Spiritui Sancto.

Pulcherrime S. Scriptura describit activitatem Spiritus Sancti in Ecclesia.

Imprimis influxui Spiritus Sancti debetur formatio corporis Christi mystici. Compositio ipsi tribuitur primae et excellentissimae cellulae huius corporis, nempe Christi, qui conceptus est de Spiritu Sancto ut profitemur in Symbolo (1).

Actio huius Sancti Spiritus manifestatur in tota vita Christi.

Visibili modo Ipse descendit in Iesum, cum hic baptizatus est ab Ioanne: « Et ecce aperti sunt ei caeli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et

(1) Cf. Mt., I, 18, 20; Lc., I, 35.

venientem super se » (1). Postea « Iesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo » (2) ; et post quadraginta dies « regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galileam » (3).

Insuper Christus in Spiritu Dei eiicit daemones (4); actione Spiritus Sancti exultavit quia Pater revelaverat parvulis ea quae erant abscondita sapientibus huius saeculi (5).

S. Paulus nos docet opus maximum Christi, sacrificium nempe sui, opera Spiritus Sancti peractum fuisse : « Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo » (6). Quapropter uno verbo dicere possumus cum S. Basilio : « omnis actio (eius) praesente Spiritu peragebatur » (7).

Spiritus Sanctus suas operationes exercet et in Ecclesia. Iesus antequam ad caelos adscenderet promisit Spiritum Sanctum, qui revera die Pentecostes in apostolos descendit et sic in Ecclesiam transit, initium dans eius vitae mirabili.

Perlegenti « Actus Apostolorum » continuo occurrit multiformis actio huius Sancti Spiritus in Ecclesia.

Apostoli loquuntur pleni Spiritu Sancto: « Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ad eos » (8); audientes autem verba Petri, multi poenitentiam agunt, baptizantur et

(1) Mt., III, 16.
(2) Ib., IV, 1.
(3) Lc., IV, 14.
(4) Cf. Mt., XII, 28.
(5) Lc., X, 21.
(6) *Hebr.*, IX, 14.
(7) *De Spir. Sancto*, c. XVI, n. 39 ; MG 32, 139.
(8) *Act.*, IV, 8.

accipiunt donum Spiritus Sancti (1) ; baptizati vero, ad imposionem manuum Apostolorum « accipiebant Spiritum Sanctum » (2) ; fideles aliquando dum orant « repleti sunt omnes Spiritu Sancto » (3) ; Stephanus « cum esset plenus Spiritu Sancto.... vidit gloriam Dei » (4).

Spiritus Sanctus velut signum dat Petro, descendens super Cornelium aliosque audientes, ut et gentes in Ecclesiam recipiantur (5) ; Ipse apostolos illuminat circa ea quae agenda sunt : « visum est Spiritui Sancto et nobis » (6) ; Ipse et apostolos cohibet ne verbum Dei indignis praedicent : « vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia » (7) ; Ipse demum consolatione replebat Ecclesiam : « Ecclesia.... consolatione Sancti Spiritus replebatur » (8).

Sanctus Paulus saepe actionem et influxum Spiritus Sancti in Ecclesia memorat.

Sufficiat tantum innuere : sicut anima in nobis est principium unitatis et simul varietatis, ita Sanctus Spiritus in Ecclesia est principium *unitatis* : « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi ; et omnes in uno Spiritu potati sumus » (9) ; et est principium *varietatis* : « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae, secundum eundem Spi-

(1) Cf. *Act.*, II, 38-41.
(2) *Act.*, VIII, 17.
(3) *Act.*, IV, 31.
(4) *Act.*, VII, 55.
(5) *Act.*, X, 44-48 ; XI, 15-18.
(6) *Act.*, XV, 28.
(7) *Act.*, XVI, 6.
(8) *Act.*, IX, 31.
(9) *1 Corint.*, XII, 13.

ritum : alteri fides in eodem Spiritu : alii gratia sanitatum in uno Spiritu : alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult » (1).

Patres saepe locuti sunt de actione mirabili Sancti Spiritus in Ecclesia, praesertim S. Joannes Chrysostomus et S. Augustinus, qui pulcherrime dicit: « Spiritus noster quo vivit omnis homo, anima vocatur ;... et videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat : per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat : omnibus simul adest membris ut vivant ; vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, nec loquitur auris et oculus, sed tamen vivit : vivit auris, vivit lingua, officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei : in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam coniugalem, in aliis hoc, in aliis illud : singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem anima est corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus Corpori Christi quod est Ecclesia ; hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima humana in omnibus membris unius corporis » (2).

Sanctus Thomas vocat Spiritum Sanctum « cor Ecclesiae » : « .... cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit » (3). Alibi Sanctus Doctor

(1) *I Corint.*, XII, 8-11.
(2) Sermo 267, c. 4 ; ML 38, 1231.
(3) *Sum. Theol.*, III, q. 8, a. 1, ad 2um.

dicit Spiritum Sanctum « quasi animam » corporis Christi mystici (1).

Rationi magis consentanea est sententia affirmans Spiritum Sanctum esse animam Ecclesiae, quia melius congruit notioni corporis mystici. Spiritus Sanctus exercet in Ecclesia quasi duplicem activitatem : aliam ad societatis unitatem organicam constituendam, nempe *ut corpus sit unum et varium*, sicut requirit ratio organismi ; aliam qua singula membra vitalitatem communem participant, nempe *ut corpus operetur*. Unicum ergo principium sufficit ad optime explicandam vitalitatem Ecclesiae quatenus est societas ; et vitalitatem Ecclesiae, quatenus componitur ex singulis membris.

In altera sententia autem duplex fingitur principium, alterum quod sit causa unitatis socialis, alterum quod sit fons vitae supernaturalis in corpore ecclesiastico : unde destruitur analogia cum corpore humano, in quo unum principium est, ex quo profluit et unitas organica et vita.

Insuper in altera sententia affirmante gratiam sanctificantem esse animam Ecclesiae, non haberetur unicum principium uniens omnia membra, quia gratia unius membri non potest vivificare alia membra ; e contra in nostra sententia unus idemque Spiritus vivificat Caput et membra. Dicit S. Thomas: « Ipse Spiritus Sanctus increatus idem numero est in capite et in membris, et aliquo modo a capite ad membra descendit, non divisus sed unus ; ipsum donum secundum quod Spiritus Sanctus in nobis habitat, non traducitur de subiecto in subiectum » (2).

(1) Cf. III D. 13, q. 2, a. 2, ad 2um.
(2) III D. 13, q. 2, a. 1, ad 2um.

Adde quod per alteram sententiam non explicatur tota vita supernaturalis in Ecclesia. Imprimis gratia sanctificans supponit altius aliquod principium vitale, a quo totum corpus vivificatur; deinde gratia sanctificans non est principium proximum unde procedunt omnes actus vitales in Ecclesia: sane sacramenta, sacrificium, potestas ordinis, magisterii, regiminis, gratiae actuales quibus sollicitantur peccatores etc., non dependent ab ulla gratia sanctificante: ita etiam unitas et varietas organorum in corpore Ecclesiae non radicantur in gratia sanctificante.

E contra haec omnia bene explicantur per nostram sententiam: Spiritus Sanctus est principium vitae supernaturalis in singulis et est fons unde oriuntur omnes potestates, omnia charismata, omnes gratiae actuales, omnis unitas et varietas in organismo ecclesiastico.

Quapropter cum Summo Pontifice Leone XIII, etiam nobis « affirmare liceat, quod cum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima » (1).

Nos vero, cum melius in caelo dignitatem nostram videbimus, gratias continuas Deo Patri persolvemus qui in Ecclesiam suam dignatus est nos vocare, Deo Filio qui inter membra sui corporis dignatus est nos numerare, Deo Spiritui Sancto qui vitam supernaturalem, per Christum Caput, constanter dignatus est nobis tribuere.

C) De elemento visibili Corporis Christi

In Ecclesia est etiam elementum visibile, externum et, ut aliqui dicunt, materiale, quod constituitur ab ipsa societate visibili, quae subest vivifico influxui Spiritus Sancti.

(1) Encycl. « *Divinum illud munus* » (9 maii 1897); *Leonis XIII Acta*, vol. XVII, p. 135.

Proprie loquendo, elementum hoc visibile constituunt omnia et singula membra, vincula externa, quibus ipsa membra in societatem visibilem uniuntur, et media externa, ut sunt praedicatio et confessio fidei, administratio sacramentorum, regimen et oboedientia.

Sed nos hic mentem nostram vertimus tantum ad membra Ecclesiae, quae proinde elementum visibile, vel — quamvis expressio non sit perfecta — materiam Ecclesiae vocamus.

Materia autem distinguitur in remotam et proximam.

Materia remota est id quod ex se aptitudinem et dispositionem habet ad rem sub certis condicionibus constituendam.

Materia proxima, id quod actu rem constituit.

Ecclesiae materiam remotam constituunt omnes homines, et materiam proximam omnes qui actu membra Ecclesiae sunt.

a) Quod omnes homines efficiant materiam remotam Ecclesiae e S. Scriptura eruitur.

In V. T. non raro allusiones sunt de futuro Regno pro omnibus hominibus destinato. Sufficiat innuere: « In Te benedicentur universae cognationes » (1). « Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae » (2); ubi clare apparet Deum promittere benedictionem omnibus hominibus in semine Abrahae, idest in Messia.

Prophetae non raro novum Regnum describunt: « Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes » (3).

(1) *Genes.*, XII, 3.
(1) *Genes.*, XXII, 18; cf. etiam XVIII, 18.
(2) Isa., II, 2; cf. etiam Ezech., XVII, 22. 23; Malac., I, 10. 11.

In N. T. apertis verbis hoc affirmatur. Christus mittens apostolos dicit : « Euntes ergo docete *omnes gentes*... ; et ecce ego vobiscum sum *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » (1) : unde Ecclesia instituta est pro omnibus hominibus omnium temporum.

Paulus semper hanc doctrinam clare praedicat : « Non est distinctio iudaei et graeci ; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum ; omnis enim quicumque invocaverit nomen Dei salvus erit » (2).

Nostrum assertum non est nisi corollarium doctrinae de voluntate Dei salvifica universali, et de morte Christi ad omnes homines salvandos. Nam Deus « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (3). Agnitio veritatis et salus tantum in Ecclesia, vel per Ecclesiam, obtineri potest ; ergo Deus qui vult salutem omnium hominum, vult etiam eorum ingressum in Ecclesiam.

Idem licet concludere ex eo quod Apostolus affirmat ; « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus qui dedit redemptionem *pro omnibus* » (4). Effectibus vero huius redemptionis homo in Ecclesia vel per Ecclesiam tantum frui potest.

Sanctus Thomas dicit omnes homines esse membra corporis mystici ; et quosdam esse membra actualiter, alios vero tantum in potentia ; et ex his alios aliquando ad actum pervenire, alios autem numquam ad actum pervenire. (5).

(1) Mt., XXVIII, 19. 20.
(2) *Rom.*, X, 12. 13.
(3) *I Tim.*, II, 4.
(4) *I Tim.*, II, 5. 6.
(5) *Sum. Theol.*, III, q. 8, a. 3 ; et ad 2um.

b) Materiam Ecclesiae proximam dicimus omnes homines qui actu in ipsa Ecclesia sunt, nempe membra Ecclesiae.

Cum de membris Ecclesiae totus noster sermo sit, hic liceat tantum breviter significare notionem huius nominis « membri Ecclesiae ».

Nomine *membri* designatur pars integralis corporis organici. Proinde ut vere membrum sit, hoc debet habere :

1) **aliquam saltem cohaesionem cum corpore;**

2) **aliquam saltem participationem vitae corporis.**

Membrum debet habere aliquam cohaesionem cum corpore, quia secus, si nondum est ei unitum vel si a corpore fuit omnimo separatum, non potest vocari membrum. Simul debet esse particeps vitae corporis, quia secus si nullum influxum animae habeat, non amplius membrum, ut pars integralis corporis vivi, censeri debet.

Corollarium

Coniunctio cum corpore Christi est pro omnibus medium necessarium ad salutem

Christus instituit Ecclesiam ut medium necessarium pro omnibus hominibus, ad finem supernaturalem obtinendum : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur » (1).

Revera nemo potest salvari nisi per unionem cum Christo Domino. Porro nemo potest referri ad Christum

(1) Mc., XVI, 16.

quin pertineat actualiter vel saltem per votum ad eius corpus, nempe ad Ecclesiam.

Ecclesia ergo est necessaria ad salutem consequendam, necessitate praecepti et necessitate medii late sumpta, eo sensu quod si quis actualiter nequiret esse membrum Ecclesiae, sufficeret ut pertineat ad Ecclesiam saltem voto. Hoc votum duplex est : *explicitum*, ut est in iis qui Ecclesiam cognoverunt sed nondum eam ingredi potuerunt, v. g. quia catechumeni; *implicitum*, ut est in iis qui Ecclesiam ignorantes, perfecte Deum diligunt paratique sunt omnia ad salutem necessaria adimplere.

In « Schemate Concilii Vaticani » haec formula proposita fuit : « Ecclesia Christi tantae (est) necessitatis, quantae consortium et coniunctio cum Christo capite et mystico eius corpore... Idcirco docemus Ecclesiam... esse omnimo necessariam, et quidem non tantum praecepti dominici... ; verum etiam medii, quia ab instituto salutaris providentiae ordine, communicatio Sancti Spiritus, participatio veritatis et vitae non obtinetur nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, cuius caput est Christus » (1).

Patres et Doctores una voce dicunt aliquem iustificari posse etiam per actum caritatis (baptismum flaminis), et per martyrium (baptismum sanguinis). Ita S. Thomas dicit : « .... potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto.... Talis autem sine baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi» (2). Et alibi : « ... aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum baptismi non solum sine baptismo aquae,

(1) *Collectio Lacensis, Acta et decreta SS. Concil. recent.*, Vol. VII (1870) cap. VI, p. 569.

(2) *Sum. Theol.*, III, q. 68, a. 2.

sed etiam sine baptismo sanguinis : in quantum scilicet alicuius cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum, et poenitendum de peccatis » (1). Quod aliis verbis significat aliquem iustificari posse per votum sive implicitum sive, a fortiori, explicitum baptismum recipiendi.

Doctrinam Ecclesiae clare exponit Summus Pontifex Pius IX : « Notum Nobis Vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis ac gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia, minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat » (2).

Ratio patet ex volunate Dei qui omnes homines salvos vult. Nisi sufficeret desiderium pertinendi ad Ecclesiam, multi, etiam sine propria culpa, ad salutem pervenire non possent. Quod certe Deus misericors permittere nequit. Ergo iis omnibus sufficit votum pertinendi ad Ecclesiam.

Unde apparet quomodo intelligenda sint verba : « Extra Ecclesiam nulla salus ».

Adulti, ut dicebamus, non tantum qui actu sunt in Ecclesia, sed etiam qui votum habent, explicite vel im-

(1) ibid., q. 66, a. 11.

(2) Encyc. « *Quanto conficiamur maerore* » ad episcopos Italiae (10 Aug. 1863); Denz.-Bannw., 1677.

plicite, pertinendi ad Ecclesiam, salutem consequi possunt. Infantibus vero, qui voti seu desiderii incapaces sunt, ingressus in Ecclesiam, per baptismum, omnino necessarius est ut ad gloriam pervenire possint.

Notandum proinde est quomodo salus tantum in Ecclesia vel per Ecclesiam (cum relatione nempe ad Ecclesiam) obtineri possit.

CAPUT II.

DE CONDICIONIBUS AD RATIONEM MEMBRI REQUISITIS

Editorial Aranzadi Carlos III, 32 - Pamplona

Depósito legal NA. 743-1966

Ut in societatibus humanis adsunt aliquae condiciones, sine quibus non efficitur socius, ita etiam in Ecclesia Christi sunt condiciones, ut quis fiat membrum ipsius Ecclesiae.

Imprimis ergo tractabimus de falsis condicionibus, postea de veris condicionibus ad rationem membri requisitis : quia melius est prius viam purgari a variis erroribus ut deinde facilius veritatem exponere valeamus.

A) Ratio veri membri non est praedestinatio

Praedestinatio in genere dicitur qualibet praeordinatio qua Deus ab aeterno decernit quidquid in tempore agit : seu est Divina Providentia ordinans res ad debitum finem.

Sensu magis stricto praedestinatio est ordinatio Dei qua creaturae rationales ad finem supernaturalem diriguntur.

Sensu strictissimo autem est actus quo Deus aliquos homines efficaciter destinat ad salutem : nihil aliud est ergo nisi divina Providentia in ordine supernaturali. Theologi distinguunt praedestinationem completam quae est praedestinatio ad gloriam, et praedestinationem incompletam, quae est praedestinatio ad gratiam. Esse praedesti-

nationem tum ad gratiam, tum ad gloriam est de fide divina (1).

Wicleffius, Ioannes Hus, Calvinistae et aliqui lutherani distinguebant duplicem ecclesiam: alteram, quae est visibilis, apparens, et errare potest, quaeque sub nomine Christi fieri potest regnum antichristi; alteram, quae est invisibilis: haec tantum est vera et numquam errare potest; et quidem est sancta, quia e solis praedestinatis conflatur; catholica et perpetua quia ex omnibus praedestinatis toto orbe dispersis, ab origine mundi usque ad finem, constat. Ita v. g. Calvinus ait: « Quid est Ecclesia? Corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam aeternam praedestinavit » (2). Et in « Confessione Scotorum » dicitur: « Haec ecclesia invisibilis est, uni Deo cognita, qui solus novit quos elegerit » (3).

Hanc sententiam secuti sunt etiam Quesnellus et Pistorienses.

Plerosque eorum qui sunt in Ecclesia, praedestinatos esse possumus credere, quia ex eo quod Deus, sua bonitate, dignatus est eos vocare in Ecclesiam, praesumptio habenda est simul eos praedestinatos esse ad gloriam.

Sed concedi minime potest *omnes* praedestinatos esse in Ecclesia, et *solos* predestinatos constituere Ecclesiam: quam doctrinam damnavit Concilium Constantiense.

Nos affirmamus non omnes praedestinatos semper,

(1) Cf. *Eph.*, I, 5; Mt. XXV, 34; *Rom.*, VIII, 29, 30.
(2) *Catechismus Eccl. Genevensis* (1545) p. 125.
(3) Karl Muller, *Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche* (1903) p. 256.

actualiter, inveniri in Ecclesia; certe ante ultimum mortis momentum vel realiter, vel saltem voto, in Ecclesia debent esse, secus salus esset impossibilis; sed hi non necessario, per totam vitam, debent esse actualiter inter membra Ecclesiae. Sed etiam dicimus in Ecclesia non esse solos electos; sunt etiam « praesciti », illi nempe qui de facto damnabuntur.

Quapropter nobis erunt probanda:

a) Ecclesiam non constare *ex omnibus* praedestinatis;

b) Ecclesiam non constare *ex solis* praedestinatis.

a) Ecclesia non constat ex omnibus praedestinatis

In S. Scriptura legimus: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor »(1).

Ex hoc apparet neminem, antequam ad ovile adducatur, pertinere ad ipsum ovile; nam et adest vocatio: « et illas oportet me adducere »; et est etiam libera electio: « et vocem meam audient ».

Item Iesus affirmat: « Et venient ab Oriente et Occidente, et Aquilone et Austro, et accumbent in Regno Dei » (2): antea in hoc Regno minime erant, postea vero « venient.... et accumbent in Regno Dei ».

Petrus alloquens christianos dicit: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, qui aliquando

(1) Ioan., X, 16.
(2) Lc., XIII, 29.

non populus, nunc autem populus Dei » (1). Certe multi inter illos christianos praedestinati erant et tamen non semper in Ecclesia fuerant ; ante vocationem in tenebris erant et « aliquando non populus, nunc autem populus Dei ». Paulus etiam saepe christianis in memoriam reducit tempus quo in Ecclesia non erant : « Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino ; ut filii lucis ambulate » (2) ; « ....eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel et hospites testamentorum..... Ergo iam non estis hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei » (3).

Hae locutiones aliaeque similes ostendunt omnes hos christianos, inter quos certo erant multi praedestinati, non fuisse semper membra Ecclesiae.

Patres hanc doctrinam implicite affirmant cum assignant ingressum in Ecclesiam tantum baptismo.

Ita S. Augustinus habet : « ...in compagem Corporis Christi tamquam in vivam structuram templi Dei, quae est eius Ecclesia, nati homines, non ex operibus iustitiae quae fecerant, sed renascendo per gratiam, transferuntur tamquam de massa ruinae ad aedificii firmamentum » (4).

Sed etiam directe Patres hanc doctrinam affirmant, loquentes v. g. de S. Paulo, qui aliquando lupus, deinde agnus factus est (5). Paulus cum lupus erat, rabide oves

(1) 1 Petr., II, 9. 10.
(2) *Eph.*, V, 8.
(3) *Eph.*, II, 12. 19.
(4) *Epist. ad Dardan.*, c. X ; ML 33, 845.
(5) Cf. S. August., Sermo 229 ; ML 38, 1275-1280 ; et S. Ioan. Chrysost., *in II Tim. c. II* ; hom. VI, n. 1 ; MG 62, 631.

Christi acri dente devorans, certe de ovili Christi non erat : et tamen Paulus praedestinatus erat.

Ecclesiae doctrina praesertim patet ex dannatione sequentium propositionum Ioannis Hus in Concilio Constantiensi : « Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles » (1). « Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet eius membrum iungitur Christo Capiti insolubiliter » (2) ; « ...praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis » (3). Hi articuli, simul cum aliis, damnati sunt ut non catholici, quia « quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi » (4).

Tota historia religionis christianae assertum nostrum mirabiliter demonstrat. Plurimi inter sanctos, et inter martyres aliquando non erant in Ecclesia, vel quia eam ignorabant vel quia nolebant in eam ingredi : immo quidam, persecutores erant christianorum et ipsum nomen Iesu blasphemabant. Ipsi apostoli aliquando in Ecclesia non erant, quia ipsa Ecclesia nondum erat. Isti de facto ad vitam aeternam pervenerunt. Tamen non semper in Ecclesia fuerunt : tunc tantum membra Ecclesiae facti sunt cum gratia Dei vocati, ad ovile Christi venerunt et per baptismum inter oves numerati sunt.

(1) Denzinger-Bannwart, *Enchirid. Symbolorum* etc. (1932) 628.
(2) ibid., 647.
(3) ibid., 631.
(4) ibid., 661. Cf. etiam ibid. 1422-1426 dammantes propositiones Quesnelli.

Etiam post receptionem baptismi praedestinatus potest ab Ecclesia deficere, quia praedestinatio non confert stabilitatem in Ecclesia. Certo, ante ultimum mortis momentum, actu vel voto, in Ecclesia erunt, quia praedestinati; sed durante eorum vita, non semper necessario debent esse in Ecclesia.

Optime S. Thomas dicit: « membrum non iudicatur secundum quod de eo fieri potest, sed secundum quod est » (1); quapropter concludentes dicimus praedestinationem non esse condicionem veri membri, quia, quousque ipse praedestinatus extra Ecclesiam maneat, membrum non est; tantum per baptismum aliquis ingreditur in Ecclesiam et tantum in ea manet si vinculum per baptismum initum non obrumpat.

b) Ecclesia non constat ex solis praedestinatis

Ecclesiam constare ex solis praedestinatis affirmant Protestantes antea nominati.

In Evangelio Christus, loquens de novo Regno, dicit in eo esse virgines prudentes cum fatuis quae foras excludendae sint (2); esse et pisces malos qui postea e sagena eiiciendi sint (3); esse et convivam qui cum venisset ad prandium sine veste nuptiali, a rege in tenebras exteriores missus est (4); esse et zizaniam quae in fine ad comburendum mittetur (5).

Ex omnibus his comparationibus apparet in Ecclesia esse etiam eos qui e Regno glorioso excludentur et in ignem

(1) III d. 13, q. 2, a. 2, ad 3um.
(2) Mt., XXV, 1-13.
(3) Mt., XIII, 47-50.
(4) Mt., XXII, 11-13.
(5) Mt., XIII, 24-30.

aeternum eiicientur, ad comburendum, in tenebras exteriores; aliis verbis affirmatur in Ecclesia esse etiam « praescitos ».

S. Ioannes in sua prima epistola, loquens de quibusdam quos antichristos vocat, asserit eos aliquando fuisse in Ecclesia, postea vero defecisse ab ea: « ex nobis prodierunt » (1).

S. Paulus multas habet admonitiones quia et ipsi, qui inserti sunt in olivam, timere debent ne forte excidantur (2); quae admonitiones inutiles forent si Ecclesia constaret e solis praedestinatis, quia hi nunquam in periculum aeternae perditionis versarentur.

Patres saepe testantur in Ecclesia militante esse praedestinatos et reprobos, praesertim cum commentantur parabolas de Regno.

Fulgentius habet: « Firmissime tene et nullatenus dubites non omnes qui intra Ecclesiam Catholicam baptizantur accepturos esse vitam aeternam... » (3). Gregorius M. dicit: « In qua (Ecclesia) quia.... reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur » (4).

Aliquando Patres videntur affirmare contrarium huic doctrinae; sed notandum bene est tunc ipsos non loqui de Ecclesia sensu stricto, se de Ecclesia quae secundum divinam praescientiam erit in altera vita, de Ecclesia triunphante, quae ex omnibus et solis praedestinatis constabit. Sed cum loquuntur de Ecclesia militante, semper hanc veritatem proponunt.

(1) Cf. I Ioan., II, 18. 19.
(2) *Rom.*, XI, 22.
(3) *De fide ad Petrum*, c. 40, n. 81; ML 65, 704.
(4) *Hom. 12 in Evang.*, n. 1; ML 76, 1119.

Ecclesiae doctrina affirmata fuit in Concilio Constantiensi ubi damnatae sunt sequentes propositiones Ioannis Hus : « Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas » (1). « Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter excidat, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidit » (2). « Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen numquam est pars sanctae Ecclesiae » (3). « Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia sive non secundum praesentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulum fidei » (4). « Si papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Iudas apostolus est diaboli, fur et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum eius » (5).

Ratio huius doctrinae facile intelligitur. Ecclesia est societas essentialiter visibilis : unde vinculum, quo homines copulantur ad Ecclesiam formandam, visibile esse debet. Praedestinatio vero esset vinculum omnimo invisibile ; ait enim S. Thomas : « ...praedestinatio non est aliquid in praedestinatis, sed in praedestinante tantum... ; praedestinatio est quaedam pars providentiae. Providentia autem non est in rebus provisis, sed quaedam ratio in intellectu provisoris » (6).

Insuper si praedestinatio esset ratio membri in Ecclesia, omnia incerta in ea. Cum nemo scire possit utrum

(1) Denzinger-Bannwart, 627 .
(2) ibid., n. 629 ;
(3) ibid., n. 631.
(4) ibid., n. 632.
(5) ibid., 646.
(6) *Sum. Theol.*, III, q. 23, a. 2.

praedestinatus sit necne, nihil faciendum maneret : nam qui praedestinatus est, in Ecclesia esset etiamsi baptismum nunquam receperit vel alia vincula numquam servaverit ; qui vero praescitus, numquam revera in Ecclesia permanserit, etiamsi baptismo iam ablutus fuerit et omnia vincula cum Ecclesia conservaverit.

Ex parte Ecclesiae vanus et inutilis esset conatus ut homines ad Christi fidem convertantur ; praedestinati enim veram Ecclesiam iam ingressi essent etiamsi de Iesu et de eius fide numquam audierint ; praesciti vero numquam in Ecclesia essent etiamsi in eam per baptismum ingressi sint : tantum apparenter inter membra Ecclesiae numerarentur.

Concludimus ergo dicentes coniunctionem actualem cum Ecclesia et non constitui sola praedestinatione, et non impediri sola reprobatione; praedestinatio enim nihil ponit in ratione membri Ecclesiae: reprobatio nihil tollit.

Dum in terris sumus, in Ecclesia adsunt praedestinati cum praescitis. Separatio tunc tantum erit quando a zizania bonum semen seligetur: tunc vere erit Ecclesia, ut ita dicam, electorum, Ecclesia gloriosa et triunphans per saecula.

B) Ratio veri membri non est gratia sanctificans

In Ecclesia Christi, a Spiritu Sancto vivificata, plurimi sunt sancti. Sunt ii qui per gratiam intime uniuntur cum Capite, templum fiunt Spiritus Sancti et totius SS.mae Trinitatis : sunt membra perfecta Ecclesiae.

Sed hic quaeritur : suntne membra Ecclesiae tantum perfecti vel saltem gratia exornati, an etiam peccatores ?

Alia — ut patet — est quaestio de sanctitate Ecclesiae.

Ecclesia enim sancta est quia caput habet Christum, cum quo unum fit.

Ecclesia sancta est quia ipsa fons est sanctitatis et omnia media habet ad sanctitatem ducentia.

Ecclesia sancta est quia revera multa eius membra sanctitate mirabili praedita sunt; et etiam peccatores, si fidem servant, Christo uniuntur vi baptismi et fidei; unde quaedam sanctitas eis inest.

Ecclesia erit tota pulchra et sancta, etiam in omnibus membris, in caelis; nam — ut dicit S. Thomas — « esse Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu patriae, non autem in statu viae: in quo si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus » (1).

Sed in hac vita Ecclesia composita est ex bonis et malis: etiam peccatores, si fidem et unionem cum Ecclesia servant, sunt membra Ecclesiae.

Iam prioribus saeculis Ecclesiae fuit quaedam opinio virorum rigidiorum, qui accipiebant strictius sanctitatem, a S. Paulo descriptam (2), etiam pro Ecclesia militante et proinde excludebant ab Ecclesia peccatores; ita v. g. Tertullianus cum Montanistis.

Saec. III° sunt Novatiani seu Cathari, « qui seipsos isto nomine quasi propter munditiam superbissime atque odiosissime nominant » (3). Haeresis ortum habuit a presbytero romano Novatiano, post controversiam circa

(1) *Summ. Theol.*, III, q. 8. a. 3, ad 2um.
(2) *Ephes.*, V, 27.
(3) S. Augustinus, *De Haeres.*, 38; ML 42, 32.

lapsos in persecutione Deciana; et tenebat tantum iustos pertinere ad Ecclesiam, neque Ecclesiam habere potestatem remittendi omnia peccata.

Saec. IV° sunt Donatistae, ita a Donato episcopo schismatico appellati, qui dicebant tantum iustos constituere veram Ecclesiam (1).

Pelagiani ulterius progressi sunt affirmantes Ecclesiam Christi constitui tantum ex iis qui nullum omnimo habeant peccatum (2).

Saeculis posterioribus hi errores non semel renovati sunt. Ita v. g. Valdenses, Fraticelli, Ioannes Wicleff, Ioannes Hus etc., donastistarum doctrinam amplexi sunt: ita etiam Iansenistae, Quesnellus, Pistorienses talem errorem renovarunt.

Calvinistae vero, quia nomine « iustorum » praedestinatos vocant, in priore thesi melius recensentur.

Lutheranis non fuit constans sententia.

Primi lutherani in Confessione Augustana, anno 1530, in art. 7 dicunt: « Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta » (3). Ipse Lutherus Symboli articulum in Cathechismo maiore ita exposuit: « Credo in terris esse quandam sanctorum congregatiunculam et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno capite Christo, per Spiritum Sanctum convocatam, in una fide, eodem sensu et sententia... Horum me quoque partem et membrum esse constanter credo » (4).

(1) Cf. S. August., *De unitate Eccles.*, c. 16; ML 43, 421-424; et *De Haeres.*, c. 69; ML 42, 43.
(2) Cf. S. August., *De haeres.*, c. 88; ML 42, 48.
(3) Muller-Kolde, *Symbolische Bucher* (1907) p. 40.
(4) Muller-Kolde, opus cit., pag. 456-457.

Sed in posteriore confessione Augustana Lutherani ab ista sententia videntur recessisse, quia admittunt Ecclesiam catholicam esse coetum vocatorum, in quo multi possunt esse peccatores : sufficit ut consentiant de vera doctrina.

Nos vero contra hos omnes dicimus :

Ecclesiam non constare tantum ex iustis sed etiam ex peccatoribus.

In Evangeliis Ecclesia comparatur areae, in qua triticum in horreum congregandum et paleae in ignem mittendae simul inveniuntur (1) ; comparatur segeti in agro mundi, ex bono semine et zizania compositae (2) ; comparatur ovili, in quo oves et hoedi sunt (3).

A S. Paulo Ecclesia comparatur magnae domui, in qua vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia sunt (4). Hae et aliae similes comparationes clare significant in Ecclesia Christi esse bonos et malos.

Tota Christi missio hoc etiam manifestat. Christus operibus et verbis clare monstravit se ad hoc venisse, ut peccatores ad salutem vocaret ; propter hoc etiam instituit Ecclesiam, cui commisit omnia remedia salutaria. Nisi essent et peccatores, ad quid sacramenta, praesertim Poenitentiae et Extremae Unctionis ?

Christus fideles hortatur ut Patrem orent iis verbis : « dimitte nobis debita nostra » (5), seu peccata, non

(1) Mt., III, 12.
(2) Mt., XIII, 24-30, 36-43.
(3) Mt., XXV, 32-46.
(4) *2 Timot.*, II, 20.
(5) Mt., VI, 12.

tantum levia sed et gravia ut patet collata similitudine servi debitoris decem millia talentorum (1).

De iis agens qui cum peccato etiam scandalum praebent, Christus ait : « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum, inter te et ipsum solum... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut etnicus et publicanus » (2). Notanda est gradatio verborum : tantum in fine, cum peccator contempserit auctoritatem ecclesiasticam, erit habendus ut ethnicus ; non prius : ergo antea in Ecclesia erat.

Ex epistolis Apostolorum apparet in Ecclesia primitiva fuisse peccatores.

S. Paulus scribens ad Corinthios supponit inter eos esse peccatores quia sunt contentiones, est fornicatio etc. (3). Alibi timorem suum manifestat : « Timeo enim ne forte cum venero, ne quales volo inveniam vos...; ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, detractiones, sussurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos : ne iterum, cum venero humiliet me Deus apud vos et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt... » (4). Scribens ad Timotheum, eum monet ut praedicet opportune et importune : « argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (5) : quod demonstrat fuisse in Ecclesia eos qui talibus increpationibus egerent.

S. Ioannes scribens ad septem ecclesias Asiae reprehendit et ipsos praepositos.

(1) Mt., XVIII, 23-35.
(2) Mt., XVIII, 15-17.
(3) Cf. *1 Cor.*, I, 11 ; V, 2-13.
(4) *2 Cor.*, XII, 20. 21.
(5) *2 Tim.*, IV, 2.

Patrum documenta innumera essent afferenda; sed leviter ea tantum tangimus. Sanctus Augustinus, in collatione anno 411 habita, Carthagine, inter Donatistas et catholicos episcopos, principalis et strenuus fuit defensor doctrinae verae, demonstrans Ecclesiam non contaminari peccatis fidelium: « Ipse Dominus Iesus Christus exemplum singulare patientiae, traditorem suum, utique pessimum, non solum cognitum in discipuli numero pertulit, verum etiam praecognitum in discipulorum numerum assumpsit » (1). Fulgentius distinguit inter peccatores et haereticos dicens: « Firmissime tene et nullatenus dubites arcam Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est bonis malos sacramentorum communione misceri » (2). Gregorius M. habet: « Boni enim nusquam sunt nisi in caelo, et mali nusquam sunt nisi in inferno. Haec autem vita quae inter caelum et infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit; quos tamen sancta Ecclesia et nunc indiscrete suscipit et postmodum in egressione discernit » (3).

Sed aliquando Patres attendunt magis ad nobiliorem partem Ecclesiae et tunc loquuntur de iis qui perfectam habent vitam gratiae, considerantes eos ut membra nobissima Ecclesiae: unde aliquando videntur negare peccatores esse membra Ecclesiae. Ita v. g. S. Hieronymus dicit: « Qui peccator est et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus » (4).

(1) Cf. ML 43, 825.
(2) *De Fide ad Petrum*, c. 43; ML 65, 705.
(3) Homil. XXXVIII, 7; ML 76, 1285.
(4) *In Ephes. comment.*, III, c. 5, v. 24; ML 26, 531.

Sed cum de Ecclesia integre sumpta ipse S. Hieronymus loquitur, clare affirmat: « Arca Noe, Ecclesiae typus fuit: uti ibi pardus et hoedi, lupus et agni, ita et hic et iusti et peccatores, id est vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur » (1).

Ita S. Augustinus aliquando videtur sibi contradicere. Sed notandum est Sanctum Doctorem aliquando loqui de Ecclesia, qualis erit in vita futura; aliquando loqui de membris perfectis: proinde quadam cum emphasi aliquando affirmat iustos corpus Christi efformare et ex ratione polemica, argumentatione ad hominem usus, videtur excludere peccatores e sinu Ecclesiae: sed haec omnia ex contextu facile explicari possunt, et contradictiones apparentes explanari.

Ita etiam aliquando S. Thomas videtur excludere ab Ecclesia peccatores. Sed ex contextu explicari debet doctrina S. Doctoris.

Certissime S. Thomas aliique scholastici tenebant peccatores esse membra Ecclesiae. Sed nonnumquam ipsi, respicientes potius ad vitam supernaturalem, corpus Christi vivificantem, affirmant non eodem modo ac iustos, peccatores dici membra Ecclesiae. Ipse S. Thomas, agens de iis qui peccatis mortalibus obnoxii sunt, dicit: « Percipiunt tamen tales a Christo quendam actum vitae, qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine » (2); unde quia peccatores aliquam a Christo vitam accipiunt, in Ecclesia sunt. Et alibi dicit: « fideles peccatores... pertinere aliquo modo ad unitatem Ecclesiae, in quantum continuantur ei per fidem » (3).

(1) *Dial. contra luciferianos*, 22; ML 23, 176.
(2) *Sum. Theol.*, III, q. 8, a. 3, ad 2um.
(3) III d. 13, q. 2, a. 2, q. 2, ad 2um.

Ideo generaliter semper ponenda est distinctio in his textibus explicandis: peccatores non pertinent *perfecto modo* ad Ecclesiam, quia non habent gratiam sanctificantem; pertinent vero *complete* quatenus fidem habent, et communionem cum capite visibili et cum membris servant (1).

Ecclesiae doctrina clara est circa hoc.

Ioannes XXII damnavit errores Fraticellorum qui duplicem fingebant ecclesiam: « unam carnalem, divitiis pressam... sceleribus maculatam...; aliam spiritualem... in qua ipsi soli eorumque complices continentur » (2).

Concilium Tridentinum habet: « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum: A. S. » (3).

Item Clemens XI damnavit errores Paschasii Quesnel, affirmantis solos iustos esse membra Ecclesiae: « Ecclesia sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra » (4).

Pius VI denique errorem damnavit synodi Pistoriensis in bulla « Auctorem fidei »: « Doctrina, quae proponit Ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum... intellecta hoc sensu ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate: haeretica » (5).

(1) Cf. quae S. Doctor habet circa fidem formatam et informem: *Sum. Theol.*, II-II, q. 4, a. 3-5.
(2) Denzinger-Bonnwart, 485; cf. 488; 584; 592; 646.
(3) sess. VI, c. 28; Denz.-Bon., 838.
(4) Denz.-Bonn., 1424; cf. 1423; 1425; 1427; 1428.
(5) Denz.-Bonn., 1515.

Ecclesia sua praxi semper confirmavit hanc doctrinam.

In Ecclesia enim semper preces effundutur ad Deum, eique sacrificium propitiationis saepe offertur ut peccata fidelium condonare velit.

Pastores et sacerdotes semper peccatores excitant ad poenitentiam, revocantes ad eorum memoriam benignitatem Dei qui substinet in Ecclesia etiam peccatores.

Ipsa institutio poenae excommunicationis supponit peccatorem, ante sententiam ecclesiasticam, pertinere ad Ecclesiam. Hic non agitur de declaratione poenae, qua iudex tantum declarat peccatorem iam incurrisse talem poenam, sed de irrogatione poenae, qua — ut melius suo loco patebit — iudex affirmat se recidere, tamquam membrum putridum, peccatorem: quod demonstrat antea peccatorem fuisse in Ecclesia.

In disciplina poenitentiali idem apparet: peccatores poenitentiam pro peccatis agebant, iuxta normas ab Ecclesia datas; ergo in Ecclesia considerabantur. Maxima erat differentia inter eos qui simpliciter peccatores erant et excommunicatos (1); illi arcebantur, ante absolutionem, a receptione Eucharistiae et a quibusdam sacris functionibus; hi vero non amplius reputabantur ut membra Ecclesiae sed ut partes recisae ne nocumento essent toti communitati (2).

Ratio propter quam affirmamus peccatorem manere in Ecclesia evidens est.

Homo post susceptionem baptismi manet membrum

(1) Cf. S. Augustinus, *ad Donatistas post collationem*, c. 20, n. 28; ML 43, 669.
(2) Cf. S. August., *De unit. Eccles.*, n. 74; ML 43, 441.

Ecclesiae nisi, vel ipse voluntarie obrumpat vinculum unionis, vel ab ipsa Auctoritate Ecclesiastica recidatur.

Vinculum unionis cum Ecclesia non obrumpitur quolibet peccato, quia non quodlibet peccatum rumpit cohaesionem cum elemento visibili Ecclesiae nec totaliter exstinguit influxum vitalem Spiritus Sancti : talis cohaesio enim aufertur tantum per schisma ; influxus vero Spiritus Sancti per peccatum contra fidem. Cum aliis peccatis ergo peccator manere potest Ecclesiae membrum, imperfectum quidem, quia caritate caret, sed completum quia omnia elementa veri membri servare potest.

Insuper Ecclesia visibilis est : titulus propter quem aliquis est membrum Ecclesiae debet esse visibilis vel in se, vel in suis effectibus, secus visibilitas Ecclesiae periret.

Si poneremus, ut rationem veri membri, sanctitatem, cum sanctitas vera et supernaturalis sit tantum Deo nota, nec necessario effectibus indubiis se prodeat, adsignaremus rationem omino invisibilem. Quapropter si Ecclesia constaret ex omnibus et solis sanctis, nemo posset discernere veram Christi Ecclesiam.

Unde concludimus affirmantes rationem veri membri non consistere in sanctitate : alia est ratio quam Dominus Iesus hominibus assignavit ut membra sui Corporis mystici fiant.

C) Homo constituitur membrum Ecclesiae per baptismum

Christus Dominus collegit suos asseclas in societatem perfectam et visibilem, quam Ecclesiam appellavit.

In omnibus societatibus adesse debent aliquae condiciones ut dignoscantur veri socii. Etiam in Ecclesia Christi adsunt hae condiciones.

Nos hic inquirimus quid stricte in quovis homine requiratur ut definitio membri verificetur, et quo deficiente non amplius membrum in Ecclesia exsistat.

Iuxta nos : homo constituitur membrum Ecclesiae per baptismum et tale manet nisi obicem contra unitatem Ecclesiae ponat.

a) Homo per baptismum constituitur membrum Ecclesiae.

Baptismus est Sacramentum Novae Legis a Christo Domino institutum, quo spiritualiter regeneramur per aquae ablutionem cum invocatione SS.mae Trinitatis.

Per baptismum nobis datur gratia regenerativa, per infusionem gratiae habitualis, virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti ; eodemque instante delentur omnia peccata, originale et actualia antea commissa, immo et poena temporalis peccatis debita. Etiam per baptismum imprimitur character, id est signum spirituale et indelebile aggregationis Ecclesiae Christi, quod ius dat ad omnia bona quae in Ecclesia sunt.

Praeter baptismum aquae est etiam baptismus flaminis seu desiderii qui consistit in actu caritatis perfectae, et est baptismus sanguinis seu martyrium propter Christum toleratum.

Nos hic de baptismo aquae loquimur : alii duo supplent baptismum aquae quoad collationem gratiae et remissionem peccatorum, non autem imprimunt characterem.

Adversarii huius doctrinae sunt omnes qui visibilitatem Ecclesiae negant : proinde omnes illi qui rationem membri Ecclesiae ponunt vel in praedestinatione vel in sanctitate.

Inusper, est etiam Suarez, qui rationem membri assignat fidei, hanc regulam generaliorem dans : « Omnes qui fidem habent, Ecclesiae membra sunt, omnes vero qui illa carent, extra Ecclesiam constituuntur » (1).

In Scriptura habemus normam iuxta quam homines in Ecclesiam recipiantur.

Christus iubet homines suscipere baptismum : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (2). Conditio haec est tam gravis ut « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (3). Ipse Apostolos docet quomodo homines ad Ecclesiam pervenire debeant : « Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » (4).

Apostoli statim baptismo utuntur ad fideles in corpus Christi mysticum inserendos.

Post primum sermonem Petri, audientes « compuncti

---

(1) *De Fide*, disp. 9, Sect. 1, n. 5. Aliqui ex scriptoribus Societatis Jesu conantur explicare hunc modum loquendi, sed Card. Billot dicit : « Veruntamen., minime diffitendum est modum eius dicendi multis subesse incommodis et non posse omnino admitti, ne magna suboriatur confusio » (*De Eccl. Christi*, p. 277).

(2) Mc., XVI, 16.

(3) Ioan., III, 5.

(4) Mt., XXVIII, 19.

sunt corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? Petrus vero ad illos : Poenitentiam, inquit, agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti » (1) ; ubi apparet simul cum poenitentia, baptismum esse necessarium ad novam vitam in Ecclesia incohandam. Post Petri exhortationem multi consilium eius secuti sunt et novam vitam per baptismum acceperunt : « Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia » (2) : id est Ecclesiae nascenti adiuncta sunt per baptismum tot nova membra.

Eadem est praxis aliorum discipulorum Christi. Philippus « descendens in civitatem Samariae praedicabat illis Christum...; cum vero credidissent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres » (3).

Paulus, quamvis ab ipso Jesu conversus, baptizatus est (4), et ipse supponit semper baptismum ut medium quo omnes fideles in unum corpus copulati sunt : « Omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno spiritu potati sumus » (5). Ipse comparationem instituit inter baptismum et circumcisionem : sicut circumcisione homines iungebantur coetui religioso V. T., ita baptismo fideles incorporantur corpori Christi mystico : « Cir-

---

(1) *Act.*, II, 37. 38.

(2) Ibid., vers. 41.

(3) ibid., VIII, 12.

(4) ibid., IX, 18.

(5) *1 Cor.*, XII, 13.

cumcisi estis circumcisione non manufacta et expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo » (1).

Notanda est locutio Apostoli : « baptizari in Christo », grece « in Christum » : hoc « significat per baptismum Christo consecrari in eiusque proprietatem tradi, immo tamquam membrum in eum inseri, ita ut omnes baptizati cum Christo sint concorporei eumque induti unum sint in eo » (2). Quod ex verbis Pauli clare apparet : « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Omnes enim unum estis in Christo Iesu » (3). De christifidelibus qui e gentilitate venerant Apostolus dicit : « ....tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivae factus es » (4) ; quod significat ethnico-christianos, quamvis non pertinerent, vi originis, ad Regnum Dei, tamen insertos esse inter eos qui in Regno Dei erant et participes factos esse benedictionum et bonorum ipsius Regni (5).

Patres considerant in Ecclesia tantum eos qui baptismum receperunt et excludunt omnes qui adhuc eum non receperunt quamvis fidem in Christo habeant.

Pulchre Ireneus dicit : « Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo poteramus, sine aqua quae de coelo est » (6). Et Sanctus Augustinus recise : « Quosque legimus in corpore Christi, quod

(1) *Colos.*, II, 11.
(2) Rud. Cornely S. I., *Comment. in Rom.*, Parisiis, 1896, p. 314.
(3) *Gal.*, III, 27, 28.
(4) *Rom.*, XI, 17.
(5) Cf. Rud. Cornely, op. cit., p. 599, 600.
(6) *Advers. Haeres.*, III, 172 ; MG 7, 930.

est Ecclesia, pertinere ad Regnum caelorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus » (1).

Clare etiam hoc testantur Patres cum dicunt catechumenos nondum esse in Ecclesia.

S. Cyrillus Hieros. pro catechumenis sic Deum orat : « .... atque (Deus) in Ecclesiam vos inserat, sibique milites allegat, arma vobis iustitiae circumponens » (2).

S. Gregorius Nazianzenus sic admonet catechumenos : « Quamdiu in catechumenorum numero es, in pietatis vestibulo versaris. Intrare te oportet, atrium pertransire, sancta contineri, in sancta sanctorum prospicere, cum Trinitate coniungi » (3).

Omnes liturgiae, una voce, hanc veritatem testantur. In collatione sacramenti baptismi sacerdotes formulis semper utuntur quibus Deum precantur ut novum membrum inserat in corpus Ecclesiae.

Ita in liturgia Ecclesiae Constantinopolitanae et graecorum dicitur : « Ut complantetur et particeps mortis et resurrectionis Christi Dei nostri fiat » (4) ; et etiam « ... sed potius in sua sancta catholica et apostolica Ecclesia, ceu veritatis germen eum complanta, nec inde eradicari permittas » (5).

In liturgia Ecclesiae Antiochenae necnon Hierosolimitanae Syrorum legitur : « ....ablue eum sacro hyssopo tuo, connumera eum tuis spiritualibus sanctisque ovibus » (6).

(1) Epist. 265, 4 ; ML 33, 1087.
(2) *Procatech.*, 8 ; MG 33, 366.
(3) Orat. XL, 16 ; MG 36, 379.
(4) Ioseph. Aloys. Assemanus, *Codex Liturgicus*, II (1849) p. 132.
(5) ibid., p. 134.
(6) ibid., p. 268.

In liturgia Ecclesiae Syrorum Maronitanorum habetur : « Suscipe Domine.... agnos, qui ad baptismum accessere : eosque in grege tuo coniunge » (1). Et etiam : « Signatur talis agnus in grege Christi » (2).

In liturgia Ecclesiae Romanae : « Da... electo nostro ut.... renovetur fonte baptismatis et inter Ecclesiae tuae membra numeretur » (3).

Ecclesiae doctrina clara est circa hoc.

Concilium Florentinum, in Decreto pro Armenis, dicit : « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est : per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae » (4). Ita Concilium Tridentinum habet : « ...cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.... Secus est de domesticis fidei quos Christus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit » (5). Et contra protestantes dicit : « Si quis dixerit parvulos... suscepto baptismo inter fideles computandos non esse.... A. S. » (6).

Codex J. C. insuper, quasi in confirmationem huius doctrinae, dicit : « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona, cum omnibus christianorum iuribus et officiis... » (7).

(1) ibid., p. 315.
(2) ibid., p. 332.
(3) *Rituale Rom.*, de baptismo adult., n. 3 .
(4) Denzinger-Bannwart, 696.
(5) Sess. 14, c. 2 ; Denz.-Bannw., 895.
(6) Sess. VII, *de Sacram. Baptis.*, can. 13 : Denzin. - Bann., 869 ; Cf. etiam Sess. VI, cap. 7 ; Denzin.-Bann., 799-800.
(7) Can. 87.

Quae omnia optime congruunt ipsi naturae Ecclesiae. Ut iam pluries diximus Christus instituit societatem prorsus singularem, ex duobus elementis compositam, nempe elemento visibili et elemento invisibili, societatem humano-divinam, quae est corpus Christi mysticum, cuius anima est Spiritus Sanctus.

Ideo quatenus Ecclesia est societas visibilis, conveniens erat hominem cum ea coniungi per ritum visibilem ; quatenus vero est societas religiosa, vitalitate intima praedita, conveniens erat hominem cum ea uniri per sacramentum quod aptum esset ad novam vitam dandam. Hoc modo aggregatio non est tantum externa, sed simul etiam intima et vera, ita ut homo ex illo instante membrum fiat corporis Christi.

Sed in quo proprie reponenda est haec incorporatio ? Sacramentum baptismi imprimit characterem et confert, nisi adsit obex, gratiam cum virtutibus infusis et donis Spiritus Sancti.

Incorporatio fit per characterem cum infusione vitae spiritualis.

Aliquando vero baptismus valide confertur et gratia non infunditur quia obex fuit v. g. omissionis necessariae dispositionis, et tamen character imprimitur. Character sacramentalis, secundum suam intrinsecam naturam, est quaedam deputatio ad cultum divinum in religione christiana. Iuxta S. Thomam (1), character est aliqua po-

(1) *Summ. Theol.*, III, q. 63, a. 2 : « Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia ; nam ad tradendum aliquid aliis, requiritur quaedam potentia activa, ad recipiendum autem requiritur potentia passiva ». Et in art. 6 dicitur : « ...per ipsum (baptismum) homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae Sacramenta ; unde baptismus dicitur esse ianua omnium sacramentorum ».

tentia; in baptismo vero est potentia passiva, in quantum datur potentia ad recipiendum aliqua divina, praesertim sacramenta. Sed incorporatio, unio intima ex qua homo fit unum cum capite, non potest tantum in hac potentia consistere: unio supponit communicationem realem eiusdem vitae inter membra et etiam cum capite. Quapropter in incorporatione simul cum charactere necesse est ponatur communicatio vitae ab Anima Ecclesiae in membrum. Optime Sanctus Bellarminus: « Praeterea character non proprie unit hominem cum capite, sed est signum potestatis et unionis cuiusdam, et ideo in inferno illo signo cognoscentur qui fuerunt membra Christi. Quod autem non uniat patet: nam non unit exterius cum sit res invisibilis: nec interius cum non sit actus nec habitus operativus. Divus Thomas primam unionem internam ponit in fide » (1).

Unde oportet habeatur infusio gratiae in animam ut unio fiat cum Capite et sic novum membrum Corporis Christi mystici exsistat: ergo incorporatio perfecta et completa habetur in baptismo per characterem et per infusionem gratiae regenerationis. Videlicet:

per ritum visibilem homo inseritur in elementum Ecclesiae visibile;

per characterem ei datur potestas ad bona spiritualia, et sic homo configuratur Christo secundum similitudinem muneris sacerdotalis;

per communicationem gratiae habetur unio intima inter membrum et caput, et sic homo configuratur Christo secundum similitudinem naturae.

---

(1) *De Ecclesia Milit.*, III, c. 4.

b) Homo constituitur membrum Ecclesiae per baptismun validum

S. Robertus Bellarminus tenet sufficere baptismum putative validum ad hoc ut quis membrum Ecclesiae fiat: « Respondeo ad hoc ut aliquis sit de corpore Ecclesiae non requiri characterem, sed externum baptismum, nec externum baptismum requiri ut quis censeatur et sit de Ecclesia, sed tantum ut admittatur... Unde Innocentius III... iudicavit presbyterum non baptizatum vere fuisse in Ecclesia, et iussit pro eius anima offerri sacrificium, ut pro aliis fidelibus » (1).

Cum S. Roberto Bellarmino alii idem sentiunt, ut Wirceburgenses (2), Dominicus Palmieri (3), C. Pesch (4), Ant. Straub (5); sed fere unanimiter ab aliis hoc reicitur, et ipse S. Bellarminus non complete adhaerebat huic sententiae; subiungit enim: « Posset et tamen etiam responderi *et melius*, eos qui non sunt baptizati.... esse de Ecclesia secundum apparentiam exteriorem tantum, id est putative, non vere » (6).

Imprimis notandum est S. Scripturam, Patres, Concilia, cum loquuntur de incorporatione, loqui de baptismo simpliciter: ergo baptismum validum intelligere debemus. Nam in re tanti momenti contrarium probari deberet, non tantum simpliciter affirmari.

---

(1) *De Eccles. milit.*, III, c. 10.
(2) Cf. Henr. Kilber, *De principiis theologicis* (1852) n. 93.
(3) *De Romano Pontifice, cum proleg. de Ecclesia*, p. 45.
(4) *Instit. propaed.*, n. 329.
(5) *De Ecclesia Christi*, n. 1304-1308.
(6) Op. cit., III, c. 4.

Revera actus invalidus est nullus, et semper talis erit. Ita matrimonium invalide contractum, nullum erit semper, etiamsi ab omnibus retineatur validum; et si postea vitium detegatur, necessaria erit vel separatio coniugum vel sanatio in radice, vel renovatio ipsius matrimonii.

Adde quod per baptismum homo acquirit capacitatem ad bona socialia quae sunt in Ecclesia, praesertim ad sacramenta et ad participationem vitae spiritualis. Haec capacitas habetur proprie propter characterem. Clarum est per baptismum invalidum, nullum characterem imprimi : proinde neque ius acquirit homo ad illa bona. Unde, quia gratia non confertur et character non imprimitur, concludere debemus per baptismum invalidum non haberi incorporationem corpori mystico.

Auctoritas Innocentii III non infirmat nostrum assertum, quia ille Summus Pontifex non affirmat talem presbyterum fuisse membrum Ecclesiae, sed tantum dicit illum potuisse salvari « quia in Sanctae Matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione » mortuus erat; per votum nempe, per desiderium pertinendi ad Ecclesiam potuit salvari (1) ; et hoc est secundum quod superius diximus, nempe ut quis salutem consequi possit requiritur saltem votum implicitum pertinendi ad Ecclesiam : ergo ille presbyter potuit salvari quia habebat votum hoc explicitum.

Hic bene notandum est, ex hoc quod requiratur baptismus validus, non perire visibilitatem Ecclesiae.

(1) Cf. Epist. « *Apostolicam Sedem* » ad Episcopum Cremonensem ; DENZIN.-BANNW., 388.

Distintuere debemus inter visibilitatem et visibilitatem. Nos dum dicimus Ecclesiam esse visibilem nolumus affirmare hanc visibilitatem seu cognoscibilitatem extendi ad singula membra, ita ut error infallibiliter excludatur circa omnia et singula membra.

Ecclesia Christi notas certas habet quibus cognosci potest ut vera inter omnes alios similes coetus. Sed ex hoc non licet concludere omnia in Ecclesia esse visibilia. Ecclesia enim visibilis est tota, sed non secundum totum; sicut homo visibilis dicendus est, quia quamquam habet partem invisibilem, haec tamen manifestatur per actus visibiles.

Insuper Ecclesia Christi constare debet membris valide baptizatis, quia Christus instituit baptismum ut medium aggregationis : ergo in Ecclesia plerique sunt certe et valide baptizati. Certitudo — ut apparet — non respicit individua membra, sed totum corpus : possibile est aliquod membrum non esse nonnisi apparenter christianum ; impossibile vero est totum corpus constitui ex non vere christianis, quia sic non haberetur amplius Ecclesia Christi.

Certitudo quae habetur circa visibilitatem seu cognoscibilitatem Ecclesiae Christi est certitudo omnino firma, certitudo fidei ; altera quae respicit singula membra, est tantum moralis, excludens nempe prudens dubium, quae sufficiens est, hoc in casu, ad regulariter et ordinarie iudicandum de isto vel illo membro, quamvis, absolute loquando, possit accidere ut aliquis homo tantum apparenter sit membrum Ecclesiae.

Quapropter non est difficultas circa hoc, nisi forsan circa illos qui praesunt in Ecclesia.

In hac quaestione semper memoria tenendum est Ecclesiam esse societatem sepernaturalem cuius caput, dux, gubernator est Christus, qui permittere nequit ut in Ecclesia plerique sint invalide baptizati, aut plerique sacerdotes careant potestate ordinis ; hoc a fortiori dicimus de Episcopis. Circa hos S. Robertus Bellarminus habet : « ...dico in Episcopis duo considerari. Primo quod locum Christi teneant.... Secundo quod habeant potestatem ordinis et iurisdictionis. Si primo modo considerentur, certi sumus certitudine infallibili quod isti quos videmus, sint veri Episcopi et Pastores nostri. Nam ad hoc non requiritur nec fides, nec character ordinis, nec legitima electio, sed solum ut habeantur pro talibus ab Ecclesia.... Si secundo modo considerentur, non habemus certitudinem nisi moralem, quod isti sint vere Episcopi, quamquam certum est certitudine infallibili quod aliqui saltem sint veri, alioquin Deus Ecclesiam deseruisset : sed ad hoc ut teneamus Ecclesiam certam et conspicuam, quantum ad capita et membra, sufficit prima consideratio » (1).

De Summo Pontifice autem minime potest admitti aliquem invalide baptizatum, ascendere posse ad Cathedram Romanam : mens nostra neque cogitare hoc potest : Iesus est enim qui Ecclesiam suam adsistit usque ad finem mundi. « Nam — dicit Card. Billot — ad infallibilem Dei providentiam pertinebit procurare ut nulli falso capiti integra adhaereat Ecclesia, et ex consequenti ut nemo recipiatur in pontificem summum qui non habeat omnes membri conditiones » (2).

(1) *De Eccl. milit.*, III, c. 10.
(2) Cf. Card. Billot, *De Ecclesia Christi*, p. 279.

c) Homo baptizatus manet membrum Ecclesiae nisi obicem contra Ecclesiae unitatem ponat

Per baptismum homo inseritur in corpus Christi, membrum fit, particeps vitae Capitis, unum formans cum Capite et cum membris. Ex hac unione enim omnium membrorum cum Christo capite habetur unum corpus, tendens ad unum finem. Unde tamquam principium ponere possumus :

Homo manet in Ecclesia quousque unitatem ipsius Ecclesiae conservat.

Hoc exsurgit ex ipsa notione membri : membrum est pars alicuius corporis : si est membrum, debet esse unum cum corpore per communicationem cum aliis membris et cum capite, praesertim per participationem eiusdem vitae.

Quoad infantes, qui nondum habuerunt usum rationis, omnes qui quomodocumque et ubicumque baptismum receperunt, dummodo validum, intra membra Ecclesiae sunt computandi, quia nullum obicem, neque contra gratiam, neque contra unitatem Ecclesiae, ponere possunt. Neque interest a quo vel inter quos hoc sacramentum receperint (1).

Sed pro adultis res aliter se habet.

Ut supra innuimus Ecclesia est societas vera, seu unio plurium ad eundem finem, per media communia, conspirantium. Hic finis in Ecclesia est omnino supernaturalis : proxime sanctificatio et salus animarum, remote gloria aeterna.

Principia quibus tendere possumus in hunc finem non

(1) Cf. Card. Billot, op. cit., pag. 287.

insunt nobis naturaliter. Tantum fide enim prosequi possumus hunc finem supernaturalem et omnia membra unam eandemque fidem a magisterio ecclesistico propositam profiteri debent. Christus suis discipulis mandatum dedit praedicandi integram suam doctrinam, et consequenter fidelibus imposuit praeceptum hanc doctrinam acceptandi (1).

Per fidem habetur unio intellectuum circa finem et circa media : haec est prima condicio ut quis maneat membrum in Ecclesia et quae vocatur unitas fidei.

Sed ad hunc finem supernaturalem attingendum, necessaria est etiam unio voluntatum, sub unico Capite visibili.

Christus enim instituit Petrum caput totius Ecclesiae. Qui in Ecclesia esse vult, oboedire debet Petri successori : habetur sic secunda condicio, quae vocatur unitas regiminis, per submissionem nempe omnium membrorum uni regimini : quae condicio nihil aliud est nisi subordinatio omnium voluntatum Supremae Auctoritati Ecclesiasticae.

Insuper hic finis membris attingendus est non singillatim, sed simul unitis, quia Ecclesia est corpus, et in corpore est communio non tantum cum capite sed et cum aliis membris : unde dum est submissio Capiti, cohaesio et cum membris debet esse (2). Haec est tertia condicio, unitas communionis vocata.

Ex his tribus condicionibus exsurgit unitas Ecclesiae. Hae condiciones inter se cohaerent : ab unitate regiminis pendent aliae duae, quia sine auctoritate non possunt

(1) Cf. Mt., XXVIII, 18-20 ; Mc., XVI, 16 ; *Colos.*, I, 23 ; *Eph.*, IV, 23.
(2) Cf. Aemil. Dorsch, *De Ecclesia Christi*, p. 482.

subsistere neque unitas fidei neque unitas communionis. Nam fides debet esse secundum normam ab auctoritate propositam ; vera communio non habetur nisi membra submissa maneant auctoritati.

Ideo, ut aliquis in sua qualitate veri membri maneat, necesse est ut nullum obicem ponat contra unitatem Ecclesiae.

Hic obex potest esse vel voluntarius ex parte ipsius membri, vel in poenam ex parte Auctoritatis Ecclesiasticae.

Obex voluntarius autem habetur vel contra unitatem fidei, per haeresim ;

vel contra unitatem regiminis, per schisma a Capite visibili ;

vel contra unitatem communionis, per schisma a membris.

Obex ab Auctoritate Ecclesiastica positus, habetur per excommunicationis poenam, seu per sectionem a corpore Christi alicuius membri nocivi.

Illae tres condiciones omnino necessariae sunt ut aliquis maneat membrum : si una tantum desit, desinit et membrum esse tale : quod melius in sequenti capite patebit.

Corollarium

De iis qui nondum baptismum receperunt

Inter eos qui baptismum non receperunt, duplicem classem possumus distinguere : aliam quae eos complectitur qui nec baptismum receperunt, nec fidem habent ; aliam quae eos complectitur qui nondum baptismum susceperunt sed tamen se praeparant ad illum recipiendum.

a) De primis tantum pauca.

Infideles dicuntur negativi si numquam vera fides eis sufficienter proposita fuit; dicuntur positivi, si haec fides fuit eis directe proposita, sed noluerunt assensum praebere, eam positive respuentes.

Ut patet, hi omnes ad Ecclesiam non pertinent, quia non receperunt baptismum nec aliud vinculum cum Ecclesia habent.

b) Circa catechumenos variae adsunt sententiae. Melchior Cano qui distinguebat duas Ecclesias, Dei nempe et Christi, dicebat catechumenos esse membra Ecclesiae Dei, « quam fidelium omnium ab initio mundi usque ad finem congregatio conficit », non vero Ecclesiae Christi (1). Sed unica est Ecclesia quae post Christum exsistit, quapropter inutilis distinctio.

Suarez, qui rationem membri Ecclesiae tantum in fide ponebat, catechumenos inter membra Ecclesiae, perfecta et completa, recensebat (2). Quod nos, ut patet, admittere nequimus.

Multi affirmant catechumenos pertinere tantum ad animam Ecclesiae: quae formula non omnibus placet, quasi ansam praebens ad duplicem Ecclesiam fingendam: aliam visibilem, ad quam pertinerent omnes baptizati, communionem cum Ecclesia retinentes; aliam invisibilem, ad quam pertinerent omnes et soli iusti (3).

Alii considerant eos ut membra sed imperfecta et incompleta, quatenus iunguntur cum Ecclesia tantum per fidem (4).

(1) *Loc. Theolog.*, I, l. 4, c. 2 (1890) p. 201.
(2) *De Fide*, disp. IX, s. 1, n. 14-18.
(3) Cf. L. Caperan, *Le problème du salut des infidèles*, essai historique (1912) p. 275.
(4) Cf. Mich. D'Herbigny, *Theol. de Ecclesia*, II, thes. 33, n. 353.

Nos huic ultimae sententiae adhaeremus et affirmamus catechumenos adhuc non esse membra completa quia nondum ingressi sunt complete per baptismum in Ecclesiam.

Patres diserte testantur catechumenos nondum intrasse in Sancta, sed esse adhuc in vestibulo; esse filios iam conceptos in utero Ecclesiae matris, sed nondum natos, et explicite negant eos esse inter fideles. Dicit S. Ioannes Chrysostomus: « Extraneus quippe est catechumenus fideli » (1).

Propter hoc magna differentia erat in antiquae disciplinae praxi inter fideles et catechumenos. Catechumeni ad mysteria non aderant (2); dimittebantur enim ante sacrificium (3); neque simul cum fidelibus orabant, ut colligere licet e Tertulliano increpante haereticos quia, inter eos « quis catechumenus, quis fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant » (4). Cum catechumenis altum silentium servabatur circa mysteria (5); et quia nondum in Ecclesia erant, hi considerabantur obnoxii diabolo; proinde iam a primis saeculis, antequam ad baptismum accederent, diabolo eiusque operibus renuntiabant, et deinde erat ritus exorcismorum (6).

Insuper catechumenus iurisdictioni ecclesiasticae non est directe subiectus. Utique sponte huic auctoritati se

(1) *In Joan.*, homil. 25, n. 3; MG 59, 151.
(2) Cf. S. Epiphan., *Edver. Haeres.*, I, 42, n. 4; MG 41, 701-702.
(3) Cf. Conc. Laodicoen., can. 19; Mansi, *Sacr. Conciliorum nova et amplis. coll.*, II, p. 569.
(4) *De praescrip.*, 41; ML 2, 56.
(5) Cf. Cyril. Hieros., *Procathec.*, n. 12; MG 33, 351-354.
(6) Cf. Tertull., *De Corona* c. 3; ML 2, 79; Cyril. Hieros., *Pro. cath.*, n. 9; MG 33, 347.

dedit, ut se praeparet ad ingressum in Ecclesiam, non vi legis ecclesiasticae, sed vi legis divinae hunc ingressum praecipientis : inter Ecclesiam et catechumenum ergo adest illa obligatio quae exsurgit ex contractu, qualis intercedit inter magistrum et discipulum, inter dominum et servum ; non vero est adhuc illa unio et communicatio quae est inter fideles quia nondum baptismum receperunt.

CAPUT III.

DE CAUSIS SOLVENTIBUS VINCULUM IN SACRAMENTO BAPTISMI INITUM

Vidimus in capite praecedenti hominem per baptismum fieri membrum Ecclesiae, et tale semper manere nisi obex ponatur contra naturam ipsius membri.

Est proprium membri eandem vitam vivere quae per totum corpus fluit : si vero haec vita totaliter ei abest non est amplius membrum nisi apparenter.

Vita in Ecclesia datur a Spiritu Sancto : per peccatum destruitur gratia sed manet generatim adhuc fides, et proinde non destruitur complete vita spiritualis. Propter hoc diximus peccatores manere in Ecclesia.

Sed per peccatum contra fidem, scilicet per haeresim, amittitur etiam virtus fidei et sic destruitur totaliter vita spiritualis in homine : unde per peccatum contra fidem membrum voluntarie se separat ab Ecclesia.

Ita est proprium membri communicare cum capite et cum aliis membris. Ideo si membrum aliquod recusat communicare vel cum Capite vel cum membris, desinit esse membrum : quapropter etiam per schisma aliquis se separat voluntarie ab Ecclesia.

Insuper sicut in omni societate aliquod membrum nocivum potest rescindi, ita et in Ecclesia aliquod membrum resecari potest per poenam excommunicationis.

Hae sunt causae vinculum in sacramento baptismi initum solventes.

Quapropter aliquid dicemus :

A) De haereticis ;

B) De schismaticis ;

C) De excommunicatis.

A) De Haereticis

Dicit Codex I. C. : « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide christiana totaliter recedit, apostata... » (1).

Quae de haereticis infra dicemus, a fortiori de apostatis dicenda sunt.

Haeresis potest esse vel interna vel externa: interna si tantum mente negetur veritas ; externa si et verbis vel signis manifestetur.

Haeresis externa potest esse occulta vel notoria : occulta, si nemini vel paucis tantum nota sit : notoria, si multis est manifestata : ad hoc sufficit ut quis ad aliquam sectam accedat .

Haeresis insuper potest esse formalis vel materialis : formalis, si quis obstinate et pertinaciter errorem contra veritatem fidei profiteatur ; materialis, si absque pertinacia aliquis bona fide talem errorem sectetur.

Unde quaestio fit :

a) de haereticis formalibus et notoriis ;

b) de haereticis materialibus et notoriis ;

c) de haereticis occultis.

(1) Can. 1325, § 2.

a) De Haereticis formalibus et notoriis

De haereticis loquentes abstractionem facimus ab excommunicationis poena quae infligitur ab iure omnibus haereticis formalibus et externis ; hic agimus de haeresi, in se ipsa considerata, quatenus importat, natura sua, separationem ab Ecclesia.

Doctrinam quam defendimus impugnavit, ut dicit S. Robertus Bellarminus, Alphonsus de Castro, docens haereticos et apostatas esse membra Ecclesiae, etiamsi palam errores profiteantur, quia vi characteris copulati semper manent Ecclesiae (1) ; impugnarunt et impugnant multi non catholici, putantes sectas esse velut partes verae Ecclesiae, et consequenter haereticos esse membra Ecclesiae.

Ita etiam in I° Conventu Velehradensi, anno 1907 habito, I. Urban voluit distinguere duplicem Ecclesiam, alteram quae sit corpus Christi mysticum, et alteram quae sit societas externa. Ad corpus Christi mysticum pertinerent omnes qui habent characterem baptismalem, unde etiam haeretici et schismatici formales et publici ; ad societatem vero externam, omnes qui condiciones ad unitatem socialem debitas servant : « Statuta distinctione inter conceptum Ecclesiae quatenus est corpus sociale et quatenus est corpus Christi mysticum, nihil nos prohibet quominus orientales, quamvis sub respectu sociali a nobis separentur, membra corporis Christi mystici dicamus, eosque sub hoc respectu ut fratres in Christo amplectamur » (2).

(1) Cf. S. Bellarminus, *De Eccles. milit.*, III, c. 4.
(2) *Acta I Conventus Velehradensis* (1908) p. 25.

Inter Theologos doctrina quae tenet haereticos formales et notorios esse extra Ecclesiam est communis.

Iam in S. Scriptura fundamentum habemus huius doctrinae. Paulus monet discipulum Timotheum dicens : « ....ut milites in illis bonam militiam, habens bonam fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt » (1). S. Robertus Bellarminus notat : « Quo loco per metaphoram naufragii (S. Paulus) intelligit hareticos, fracta una parte navis Ecclesiae, ex ea in mare decidisse. Quod etiam significatur illa parabola Domini de rete quod prae multitudine scindebatur » (2).

Idem Apostolus, scribens ad Titum dicit : « Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus » (3). Titus, qui Pastor est animarum et proinde suum est oves quaerere, iubetur a S. Paulo, post unam et secundam admonitionem, haereticum devitare ; quod supponit haereticum non amplius esse ovem, seu non esse amplius in Ecclesia ; et hoc factum est voluntarie ab haeretico : « proprio iudicio » ; ergo etiam sine Ecclesiae sententia.

S. Ioannes acribus verbis iubet christianos : « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec Ave ei dixeritis » (4). Hic, Ioannes, apostolus charitatis, imperat fidelibus ne communionem cum illis, qui veram doctrinam respuerant, ha-

(1) *I Timot.*, I, 18-19.
(2) *De Eccles. milit.*, III, c. 4.
(3) *Tit.*, III, 10.
(4) II Ioann., 10.

beant ; quod demonstrat eos a S. Ioanne non amplius in Ecclesia considerari.

Communis est traditio omnium Patrum circa hanc doctrinam. Ita S. Ignatius iam monet Trallianos : « Fugite ergo malas propagines quae gignunt mortiferum fructum, quem si quis gustaverit, statim moritur. Isti enim non sunt plantatio Patris » (1).

S. Ireneus de S. Policarpo narrat : « Et ipse autem Policarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi et dicenti : Cognoscis nos ?, respondit : Cognosco te primogenitum Satanae. Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adultaverant veritatem » (2).

Tertullianus affirmat : « Si enim haeretici sunt, cristiani esse non possunt » (3).

S. Augustinus etiam expressis verbis pluries affirmat : « Haeretici enim sunt, iam foris sunt : cum tota munditia sua foris permanserunt » (4) ; « quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam » (5).

Praxis Ecclesiae concors est doctrinae Patrum.

Christiani nihil commune habere volebant cum haereticis et nonnunquam ab eis se secernebant clamantes : « catholicus sum, nolo esse haereticus » (6).

In controversia circa baptismum haereticorum, aliqui hanc separationem ab haereticis ita exaggerabant ut

(1) *Epist. ad Trallian.*, n. 11 ; MG 5, 683.
(2) *Coctra haeres.*, III, c. 3, n. 4 ; MG 7, 853-854.
(3) *De praescript.*, c. 37 ; ML 2, 51.
(4) Sermo 181, n. 3 ; ML 38, 981.
(5) *De Fide et Symb.*, n. 21 ; ML 40, 193.
(6) Cf. Hilar., *ad Constantium*, I, 2 ; ML 10, 558.

dicerent eos qui extra essent Ecclesiam nec alios in eam introducere posse (1).

Quotiescumque haeretici, suum errorem reliquentes, petierunt pacem cum Ecclesia, semper in documentis ecclesiasticis dicitur *eos accedisse ad Ecclesiam, eos receptos esse ab Ecclesia* et similia : quod ostendit eos antea in Ecclesia non fuisse (2).

Ratio huius doctrinae deducitur e generaliore principio, quod superius posuimus determinantes rationem veri membri.

Per baptismum homo fit Ecclesiae civis, et coram Deo et coram hominibus declarat promittitque se in unitate Ecclesiae semper mansurum. Unitas Ecclesiae etiam unitatem fidei complectitur ; omnes enim eius asseclae per professionem eiusdem fidei, per unionem omnium intellectuum, finem Ecclesiae prosequi debent : ex hoc « *fideles* » vocantur, quia unam fidem profitentur.

Ex eo autem quod aliquis publice et scienter et pertinaciter errorem ab Ecclesia damnatum amplexus sit, patet eum declare velle se amplius in unitate Ecclesiae manere nolle et actum prioris professionis in baptismo factae, per actum contrarium velle rescindere et vinculum quo Ecclesiae copulabatur velle omnino solvere.

Si errorem homo professus sit per adhaesionem formalem et publicam alicui sectae, res magis patet ex oppositione exsistente inter sectam et Ecclesiam. Nam nemo potest esse socius, eodem tempore, duarum societatum quae invicem se excludant.

(1) Cf. Cyprian., epist. 73 *ad Iubaian.*, n. 21 ; ML 3, 1123.
(2) Cf. Conc. Nicoen., can. 8 ; Mansi, *Sacr. Conc.... collect.*, II, 671 ; ita etiam Cf. Mansi, V, 373 ; V, 378 ; VIII, 415.

Ex hoc vero ne conclusionem feceris haereticum, cum non sit amplius membrum Ecclesiae, non obstringi lege ecclesiastica. Haereticus non est amplius membrum ; manet vero subditus Ecclesiae.

Diversa est ratio « membri » et « subditi » Ecclesiae. Subditi sunt omnes qui characterem baptismalem receperunt : unde etiam haeretici, apostatae, schimatici. Signum enim habent quod indelebiliter manifestat ius Ecclesiae in eos : extra ovile errant sed in ovili deberent esse. « Et sicut pastor revera potest ovem, quae extra ovile errat, cogere iterum ad ovile ; et imperator potest desertorem militiae, qui transfugit ad castra hostium, vi cogere ad sua castra, aut etiam suspendere » (1), ita etiam Ecclesia potest ius suum in haereticos exercere quia hi per characterem baptismalem subditi manent Ecclesiae.

b) De Haereticis materialibus et notoriis

Circa hos haereticos, notorie sed bona fide aberrantes, non una est sententia inter Theologos.

Alii negant eos esse membra Ecclesiae (2) ; alii e contra affirmant, inter quos est etiam Suarez, consequenter ad suum principium generale circa rationem membri Ecclesiae (3) ; alii distinguunt, affirmantes eos in foro interno et iudicio Dei esse membra Ecclesiae, in foro tamen externo et iudicio Ecclesiae praesumi haereticos (4).

Nos ut probabiliorem primam sententiam tenemus.

(1) S. Robertus Bellarminus, *De Eccl. milit.*, III, c. 4.
(2) Cf. Aem. Dorsch, *De Eccl. Chr.*, p. 495 ; Card. Billot, *De Eccl. Chr.*, thes. XI, p. 292.
(3) Cf. *De Fide*, d. IX, s. 1, 13.
(4) Cf. Card. Franzelin, *De Eccl. Chr.*, Thes. XXIII, II, 10.

Patres cum loquuntur de haereticis, generatim de formalibus et pertinacibus loqui intendunt; aliquando autem aliquis eorum videtur excusare eos qui bona fide extra Ecclesiam sunt. Ita S. Augustinus de istis loquens habet : « Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi. Tales ergo vos nisi esse crederem, nullas fortasse vobis litteras mitterem » (1) .

Istis verbis Sanctus Doctor intendit magnam distinctionem ponere inter haereticos formales et haereticos materiales: cum illis non licet communicare ; cum istis, seductis et minime pertinacibus, caritatis causa licet. Unde illa expressio potius ad defensionem sui agendi modi tendit, et revera paulo post ipse scribit : « Haec praelocutus sum ne quis me existimet impudentius vobis quam prudentius scripta misisse et hoc modo vobiscum de negotio animae vestrae aliquid agere voluisse, quia nostrae communionis non estis » (2). Aliis verbis S. Augustinus distinguit inter haereticos qui « pertinaci animositate » errorem defendunt, et alios qui « sine animositate » in errore sunt : posteriores inter veros haereticos, id est, inter formales haereticos computandi non sunt, quamvis et isti non sint « nostrae communionis ».

Sed et Patres multoties docent etiam haereticos materiales versari extra Ecclesiam. Dicunt enim expressis verbis omnes haereticos, etiam illos qui seducti ab haeresiarchis in eorum congregatiunculas ingressi sint, non pertinere ad corpus Christi mysticum, nullam distinctionem ponentes inter eos qui voluntarie et eos qui bona fide eorum errorum participes sint.

(1) *Ad Glorium*, epist. 43, 1 ; ML 33, 160.
(2) ibid., n. 2.

Ita S. Ireneus narrat Sanctum Polycarpum convertisse « in Ecclesiam Dei multos ex his quos praediximus haereticos » (1) ; qui « haeretici » erant illi qui bona fide in errorem inducti fuerant : nam in praefatione de istis haereticis Ireneus dicit eos « inexpertiores » et « subdole » ab haeresiarchis in errorem ductos fuisse (2) ; et deinceps affirmat opus suum perfecisse « ne forte et cum nostro delicto abripiantur quidam quasi oves a lupis » (3). Quapropter si Polycarpus multos ex iis « convertit in Ecclesiam Dei », hoc significat eosdem antea in Ecclesia non fuisse.

Praxis Ecclesiae conformis est huic sententiae. Cum haeretici accedere volunt ad Ecclesiam, omnes eodem modo recipiuntur, nullo discrimine facto inter haereticos formales et haereticos materiales.

Ita Cornelius Papa, anno 251, recepit in communionem Ecclesiae Maximum, Urbanum, Sidonium aliosque qui hanc professionem fidei fecerunt : « ... nos errorem nostrum confitemur..; imposturam passi sumus ; circumventi sumus perfidia et loquacitate captiosa ; nam tametsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse, cor tamen no-

(1) *Contra Haeres.*, III, c. 3, n. 4 ; MG 7, 582. 853.
(2) Ibid., I, 1 ; MG 7, 438.
(3) ibid., I, n. 2 ; MG 7, 442.
(4) Epist. 76, n. 1 ; ML 3, 1138.

strum semper in Ecclesia fuit.... » (1) Ut apparet ex ipsa formula, hi omnes erant haeretici materiales, et tamen eis necesse fuit haec professio fidei ut in Ecclesiam a Summo Pontifice reciperentur.

Quod affirmamus consentaneum est rationi. Isti haeretici notorii, etsi bona fide aberrantes, ad societatem pertinent quae opponitur totaliter Ecclesiae Christi, eius dogmatibus contradicit, eius caput minime tenet et communionem cum membris Ecclesiae nullam habet : ergo nec sectatores illius sectae pertinere possunt ad Ecclesiam Christi, quia etsi inculpabiiter et ignoranter, de facto respuunt hanc Ecclesiam et de facto non habent vinculum fidei, regiminis et communionis.

Non valet obiectio quam ponunt aliqui dicentes : pueri baptizati in secta haeretica certe membra Ecclesiae sunt, ergo adulti qui bona fide sunt non amittunt hanc qualitatem veri membri, nisi forte per peccatum mortale (2).

Filii acatholicorum utique sunt membra Ecclesiae quia per baptismum inserti sunt in corpus Christi mysticum et membra manent donec obicem contra unitatem Ecclesiae non ponant. Nec necesse est infantes communicent vitae sociali Ecclesiae ; etenim nec filii catholicorum realiter communicant, quia incapaces sunt.

Adulti vero debent communicare huic vitae sociali Ecclesiae, praesertim per professionem eiusdem fidei a magisterio ecclesiastico propositae ; secus non haberetur

(1) Cf. ML 3, 721 ; Denzinger-Bannwart, 44.
(2) Cf. Ios. Guibert, *De Eccl. Christi* (1928) n. 187.

unio intellectuum in eundem finem et sic unitas Ecclesiae periret.

Unde in casu proposito, haereticus adultus, etsi inculpabiliter, revera ponit obicem contra unitatem fidei, et proinde extra Ecclesiam est.

Neque valet quod a quibusdam asseritur : haeretici materiales in foro externo ab Ecclesia praesumuntur et habentur ut haeretici, sed in foro interno et coram Deo manent membra Ecclesiae (1). Bene notat Ludovicus De San : « Hoc dici non potest.... ; cum enim in iudicio Dei, quod est infallibile, haeretici et schismatici materiales non possint actu esse nisi id quod vere sunt, si ipsi in iudicio Dei essent membra Ecclesiae, sequeretur eos esse vera Ecclesiae membra, quod falsissimum patet esse.... » (2).

Non negamus etiam haereticum materialem gratiam, quam in baptismo recepit, servare posse, et etiam amissam reparare actu contritionis perfectae, et sic ad salutem pervenire. Haec est alia quaestio : ad salutem — ut diximus — aliquis pervenire potest etiam voto pertinendi ad veram Ecclesiam, quod adest in haeretico materiali. Affirmamus vero talem haereticum non habere condiciones veri membri et proinde etiam inculpabiliter non pertinere actu ad Ecclesiam Christi.

c) De Haereticis occultis

Potissima est inter Theologos controversia circa haereticos occultos, seu circa eos qui fingunt profiteri fidem, quam interne non habent.

(1) Cf. Card. Franzelin, *De Eccl. Chr.*, Thes. XXIII, II, 10.
(2) *De Eccl. et Romano Pontif.*, n. 359.

Haeresis potest esse *occulta per se*, si nullomodo ad externum actum processerit, et *occulta per accidens*, si extra manifestata fuit, sed ad notorietatem non pervenit. In nostra quaestione idem valet pro utraque; quamvis enim in altero casu agatur de haeresi exterius manifestata, haec tamen ita occulta est ut iuridice probari hic et nunc nequeat.

Quapropter videndum est utrum haeresis interna, occulta per se vel per accidens, separet ab Ecclesia necne.

Hic, ut ex se patet, agitur de haeresi formaliter interna, quia haeresis tantum materialiter interna nullum ponit obicem contra unionem cum Ecclesia: non externe, quia vinculum subiectionis potestati ecclesiasticae et vinculum communionis cum Ecclesia servatur; neque interne quia inculpabiliter haeresis concepta fuit, quapropter fides servatur et nisi aliquod peccatum grave obstet, etiam caritas.

Circa haereticos occultos est discrepantia inter Theologos.

Alii — nec sunt pauci — affirmant hos haereticos esse membra Ecclesiae (1); alii e contra negant (2); alii

(1) Ita: MELCHIOR CANO, *Loc. Theol.*, IV, c. 6, ad 12; S. BELLARMINUS, *De Eccl. milit.*, III, c. 10; STAPLETON, *Relect. princ. controv.*, I, q. 2, a. 3; IOAN. PERRONE, *Praelect. de vera Religione*, II, prop. 7; DOMIN. PALMIERI, *De Romano Pontif.*, in *Proleg. de Eccl.* § XI; Card. MAZZELLA, *De Relig. et Eccl.* n. 533, 3°; GUILELMUS WILMERS, *De Chr. Eccl.*, n. 399; ANT. STRAUB., *De Eccl. Chr.*, Thes. XXXIV; LUDOV. de SAN, *De Eccl. Chr. et Rom. Pont.*, n. 370; Card. BILLOT, *De Eccl. Chr.*, *Thes.* XI, 2; C. PESCH, *Praelect. Dogm.*, I, n. 329; M. d'HERBIGNY, *Theol. de Eccl.*, n. 350; HERM. DIECKMANN, *De Eccl.*, n. 961; HIL. FELDER, *Apologeticae demonstratio christiana*, II, p. 44, 45.

(2) Ita: IOANNES DE TURRECREMATA, *De Eccl.*, IV, pars 2, c. 20; SUAREZ, *De fide*, disp. 9, s. 1, n. 2; BILLUART, *De Reg. Fid.*, d. III, a. 2; PATRICIUS MURRAY, *De Eccl. Chr.*, I, d. 3, s. 5; qui etiam citat: GREGORIUS DE VALENCIA, TAMNER PICILER, SYLVIUS; Card. FRANZELIN, *De Eccl. Chr.*, thes. XXIII, II, 2; H. HURTER, *De Eccl.*, n. 238.

autem referunt duas sententias quin proprium iudicium clare manifestent (1).

Argumenta valida sunt pro utraque sententia, sed ea quae stant pro negantibus validiora nobis videntur.

In primis notamus argumenta quae solent afferre qui affirmant hos haereticos esse membra Ecclesiae, ex Sacra Scriptura et ex Patribus nihil probare.

Ita v. g. ex S. Scriptura afferunt illud Ioannis: «...et nunc antichristi multi facti sunt... Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum» (2): *ex nobis prodierunt* — dicitur — *sed non erant ex nobis*; ergo, concludunt, antea erant haeretici occulti et postea manifesti facti sunt, ab aliis fidelibus recedentes.

Sed quis compertum potest habere S. Ioannem, cum scribat «non erant ex nobis», affirmare velle eos iam a fide interne defecisse? Melius phrasis explicatur si intelligimus eos, iam a principio suae conversionis instabiles et inconstantes fuisse; nam S. Ioannes ea verba «non erant ex nobis» indefinite de haereticis illis dicit, ad totum tempus indicandum quo inter fideles conversati erant: non est certo concludendum eos, a primo instante quo ingressi erant in Ecclesiam, iam haereticos occultos fuisse.

Item argumentum desumptum e Traditione nihil probat contra nostram sententiam.

Ad S. Augustinum provocant. Sed S. Augustinus cum

(1) Ita v. g. I. V. DE GROOT., *Sum. Apolog. de Eccl.*, q. III, a. 3, n. 3; AEMIL. DORSCH, *De Eccl. Chr.*, p. 495-504; REG. SCHULTES, *De Eccl. Cath.*, p. 94.

(2) I IOAN., II, 18.

quaestionem non habeat ex professo, ex omnibus scriptis iudicandus est, non ex aliqua expressione e contextu avulsa; quo in casu ipse S. Augustinus non est contra nostram sententiam; immo videtur ei favere. De haereticis occultis enim dicit: « Nec ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum eius corporaliter participes sunt » (1). Et alibi scribit: « Haereticus est et foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur » (2).

Ratio praecipua quae stat pro nostra sententia profluit ex omnibus quae diximus circa naturam veri membri Ecclesiae. Per baptismum homo inseritur in corpus Christi et fit membrum vivum, copulatum elemento visibili per vincula visibilia, et copulatum elemento invisibili saltem per fidem. Fides est primum vinculum unionis et supernaturaliter nos coniungit cum Capite. Per alia peccata destruitur in nobis gratia, sed remanet fides; sed per peccatum haeresis amittitur et fides, quia directe fidei obiectum impugnatur et negatur. Quapropter in nobis per peccatum haeresis destruitur omne vinculum unionis supernaturalis: non amplius habetur vita in membro, et consequenter non amplius ut membrum illud considerari debemus: recisum est enim; non amplius est pars integralis corporis vivi, ut est Ecclesia.

Revera Spiritus Sanctus nullum habet influxum supernaturalem continuum in hos haereticos: non influit — ut patet — fidem internam, quia complete haec destructa fuit voluntarie; non influit professionem fidei externam, quia, ut bene ait Billuart: « Christus non influit in sua membra hypocrisim, simulationem et mendacium, qualis est haec haereticorum simulata fides » (1).

(1) *Contra litt. Petil.*, II, c. 108; ML 43, 345.
(2) *In Mt.*, q. 11, 2; ML 35, 1367.

Scimus etiam iis peccantibus non denegari gratias actuales. Sed per gratiam actualem, quae est actio transiens, non habetur communio permanens, qualis esse debet inter membra et Caput: secus dicere deberemus etiam omnes non baptizatos esse membra Ecclesiae, quia et ipsis dantur gratiae actuales.

Argumentum etiam alio modo proponi potest. Christus in hunc mundum venit ad annuntiandam veritatem, quam commisit Ecclesiae. Omnes homines in Ecclesiam ingredi possunt, condicione tamen ut in ipso ingressu, actum verae fidei eliciant. Fides haec, in baptismo et per totam vitam, debet esse vera. Nam professio fidei supponit fidem veram et internam, secus esset tantum simulatio et hypocrisis. Similiter oboedientia et submissio auctoritati ecclesiasticae exigit fidem veram et internam qua quilibet fidelis recognoscit in auctoritate praecipiente, auctoritatem Christi et consequenter eadem oboedientia et submissione qua placita Christi exsequeretur, etiam placita antistitum, praesertim Summi Pontificis, perficit. Si, e contra, nulla est fides interna, oboedientia est tantum fictio, minime respondens intimae persuasioni.

Item communio cum aliis membris exigit hanc fidem veram et internam: eorundem bonorum quae sunt in Ecclesia participes esse nequimus nisi vera fide ad ea accedamus; coordinatio inter membra non potest subsistere nisi quilibet, vera fide, se et alios respiciat ut membra unius corporis Christi; secus communio haec esset

(1) *De Reg. Fid.*, dis. III, a. 2, § 4.

tantum externa et apparens relatio inter socios, qui tantum ficte et apparenter ad eandem societatem pertinerent.

Unde clarum est haereticum occultum non esse verum membrum Ecclesiae : ficte et apparenter ei tantum adhaeret : ficte et apparenter tantum membrum est : ficta est enim fides, ficta est submissio capiti, ficta est communio cum membris : unde ficte inter fideles numeratur, « sicut si lupus, pelle ovina tectus, reperitetur inter oves ; esset in ovili sed non esset de ovili, ut vera eius pars » (1) ; vel est similis « parti seu membro abscisso, latenti sub veste, ratione cuius apparet adhuc membrum, licet non sit » (2).

Comprobationis causa solent afferri duo documenta ecclesiastica.

In Decreto pro Iacobitis Papae Eugenii IV, in Bulla cuius initium « Cantate Domino » (a. 1441), post expositionem doctrinae de SS.ma Trinitate, sic legimus : « Quoscumque ergo adversa et contraria *sentientes* damnat, et a Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos esse denuntiat » (3).

Notanda sunt verba adhibita : « quoscumque.... *contraria sentientes* » seu omnes qui aliter interne credunt, separatos ab Ecclesia Summus Pontifex declarat.

Aliud documentum habemus in Bulla « Ineffabilis », in qua Pius Papa IX, post expositionem doctrinae circa Immaculatam Beatae Mariae Virginis Conceptionem sic dicit : « Quapropter si qui secus ac nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint *corde sentire*, ii no-

(1) Billuart, *De Reg. Fid.*, III, 2.
(2) Ibid.
(3) Mansi, *Sacr. Concil. coll.*, XXXI, 1736 ; Denz.-Bannw., 705.

verint ac porro sciant, se proprio iudicio comdemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis modo significare ausi fuerint» (1).

Etiam hic notanda sunt verba : « si qui.... praesumpserint.... corde sentire.... sciant.... ab unitate Ecclesiae defecisse » ; hic, Summus Pontifex de haeretico interno loquitur; postea in subsequentibus verbis de haeretico notorio, qui poenis a iure statutis subiicitur (2).

In iis documentis Summi Pontifices non voluerunt certe definire hanc nostram quaestionem, et ea verba tantum incidentaliter enuntiata fuerunt ; tamen talia verba manent ut comprobantia nostram sententiam, quia ea non obscure manifestant opinionem ad quam inclinabant illi qui ea protulerunt.

Neque ex hoc quod necessaria sit fides interna periclitatur visibilitas Ecclesiae ; immo ipsa visibilitas, aliquo sensu, veram fidem in membris exigit.

Quod enim apparet debet esse iuxta veritatem nisi velimus admittere hypocrisim sufficere ad rationem veri membri constituendam, cum, fide interna sublata, externa fides, oboedientia, et communio nihil aliud sint nisi hypocrisis.

Interna fides visibilis est, id est cognoscibilis, ex consueto agendi modo. Non est ut praedestinatio et

(1) Denz.-Bannw., 1641.
(2) Alii diverso modo haec verba explicant dicentes haereticos occultos ab unitate Ecclesiae deficere et poenis a iure statutis subiici « si quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis modo significare ausi fuerint ».
Nobis vero verba supracitata videntur melius intelligi, iuxta interpretationem superius datam.

iustificatio, quae tantum apud Deum nota possunt esse. Fides ita est ut ex verbis, ex scriptis, ex omnibus circumstantiis erumpat et innotescat; quod interius creditur, manifesto apparet, praesertim in quibusdam factis sine fictione, secundum legem quandam psychologicam, quasi morali necessitate, ut notat Aemilius Dorsch (1). Revera dum facillime in occulto tenentur alia peccata quae secreto committuntur, propter pudorem vel infamiam, quoad peccatum haeresis difficilius hoc evenit, quia ille qui alienatus est interne ab Ecclesia, nisi magnum exemplum hypocrisis sit, difficulter ponit actus externae professionis et debitae oboedientiae, et proinde quamprimum falsam pellem ovinam abiiciens, se monstrabit, ut est, lupum rabidum, odio adversus Ecclesiam inflammatum.

Unde, morali cum certitudine, cognosci potest fides eorum qui sunt in Ecclesia.

Certo, absolute loquando, aliqui possunt esse in Ecclesia qui apparenter tantum sint christifideles, sicut in qualibet societate possunt esse aliqui qui apparenter tantum sint socii. Ceterum pro singulis membris nobis sufficit certitudo moralis; pro universo coetu autem argumentamur eodem modo ac superius, loquentes de baptismo valido necessario ad novum membrum efficiendum; ope nempe principii reflexi possumus ratiocinari: certi sumus certitudine infallibili adhuc exsistere Ecclesiam veram, quae cognoscibilis est, ob quasdam notas, inter omnes alios coetus religiosos. Item certi sumus hanc Ecclesiam continere omnes baptizatos, veram fidem profitentes:

(1) *De Eccl. Christi*, p. 502.

ergo dum Ecclesiam cognoscimus, certi sumus pleraque eius membra veram fidem profiteri.

Sectatores contrariae sententiae hoc modo contradicunt: haereticus occultus non amittit iurisdictionem quam prius habebat; ergo adhuc membrum Ecclesiae remanet. Nam absurdum esset dicere eos habere in Ecclesia iurisdictionem, qui extra Ecclesiam sint. Quod praesertim dicunt de Summo Pontifice, qui, coniectura, esset interne haereticus: si non est membrum, a fortiori non potest esse caput. Sed Summus Pontifex propter haeresim internam non amittit iurisdictionem, sicut nec Episcopi; ergo manent membra Ecclesiae.

Ad quam obiectionem videtur sic posse responderi. In primis notamus nullam esse difficultatem circa potestatem ordinis. Haec enim semper manet in quovis rite ordinato, etiam haeretico, apostata, schismatico etc.: character enim indelebilis est, conferens in ordinatione presbyteratus «potestatem.... consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius (Christi) nec non et peccata dimittendi et retinendi» (1). Quoad potestatem iurisdictionis etiam notandum est Ecclesiam posse, propter bonum animarum, concedere iurisdictionem iis qui notorie ab Ecclesia defecerunt; et de facto eis, quibusdam in casibus, talis iurisditio confertur.

Conc. Tridentinum habet: «Pie admodum, ne hac ipsa occasione (reservatione nempe casuum) aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo *omnes sacerdotes* quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et

(1) Conc. Trid., sess. XXXIII, c. 1; Denz.-Bannw., 957.

censuris absolvere possunt » (1) Et S. Officium die 7 iulii 1864, declaravit recipi posse in periculo mortis sacramentum poenitentiae a sacerdote schismatico « dummodo tamen et aliis fidelibus non praebeatur scandalum nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tamen probabiliter credatur sacerdotem haereticum administraturum hoc sacramentum secundum ritum Ecclesiae » (2). Quae omnia respiciunt tantum licitam advocationem sacerdotis schismatici, non autem validitatem absolutionis. Tandem in Codice I. C. habetur : « In periculo mortis *omnes sacerdotes*, licet ad confessionem non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus » (3).

Hic dicitur « omnes sacerdotes » ; ergo etiam irregularis, suspensus, immo etiam haereticus, apostata, schismaticus, excommunicatus vitandus (4).

Codex I. C. etiam dicit : « Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem..... tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia » (5).

Unde dicimus : si Ecclesia, quando bonum animarum hoc exigit, concedit potestatem iurisdictionis, ut est in sacramento poenitentiae, omnibus sacerdotibus, etiam

(1) Conc. Trid., sess. XIV, c. 7.
(2) *Fontes C. I. C.*, IV, n. 978, ad 6.
(3) Can. 882.
(4) Cf. H. Noldin-Schmitt, III, *De Sacram.* (1930) n. 346.
(5) Can. 2261, § 3.

schismaticis, notorie haereticis (qui certo membra Ecclesiae non sunt), quomodo potest concludi haereticos occultos manere membra Ecclesiae ex eo quod ipsa Ecclesia, propter bonum animarum, ab illis iurisdictionem, quam prius habebant, non aufert ? Tantum propter quietem et salutem animarum eis relinquitur iurisdictio, quamvis ab Ecclesia iam defecerint.

Circa Romanum Pontificem est controversia inter Theologos utrum possit, quatenus persona privata, incidere in haeresim necne.

Alii affirmant (1), dum alii negant (2).

Quidquid sit, dicimus Summum Pontificem, in casu haeresis internae, manere Caput, ratione iurisdictionis, non ratione membri Ecclesiae ; nam ut dicit Billuart : « Papa.... constituitur membrum Ecclesiae per fidem particularem, quam potest perdere, et caput Ecclesiae per iurisdictionem et potestatem cum haeresi compossibilem » (3).

B) De Schismaticis

Theoretice distinguere possumus schisma ab haeresi, quamvis vere, praesertim post definitionem infallibilitatis Romani Pontificis in Conc. Vaticano, vix haberi possit schisma sine haeresi.

Hic de schismaticis loquimur, praescindentes ab haeresi et etiam ab excommunicationis poena, quam schisma secumfert.

(1) Cf. Ant. Straub, *De Eccl. Chr.*, n., 1068.
(2) Cf. S. Rob. Bellarminus, *De Rom. Pont.*, IV, c. 6 ; Suarez, *De Fide*, d. 10, s. 6, n. 11.
(3) Billuart, *De Incarn.*, dis. IX, a. 2.

Iuxta S. Thomam : « schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant » (1).

Duplici modo ergo aliquis potest esse reus schismatis : vel quia recusat se subiicere Romano Pontifici, vel quia debito modo cum reliquis membris non vult communicare, seipsum considerans ut partem separatam et independentem ab omnibus aliis : ita si quis renuit se subiicere auctoritati Episcopi, sed tantum directe vult subesse auctoritati Summi Pontificis, schismaticus fit.

Ex verbis S. Thomae apparet schisma non haberi ex simplici inoboedientia vel ex peccato contra charitatem socialem aliis membris debitam, sed tantum adesse cum quis pervicaciter non vult recognoscere caput visibile, vel cum membris communicare recusat : non adhaerens capiti cohaerere nequit cum corpore ; non communicans cum reliquis membris nec cum capite potest cohaerere ; peccatum schismatis in contemptum capitis et corporis, utroque modo, est.

Etiam de schismate, facienda est distinctio quam fecimus loquentes de haeresi.

Schisma est vel formale vel materiale ; formale, si pertinaciter et voluntarie fit ; materiale, si ex ignorantia invincibili habetur. Item schisma est vel notorium vel occultum : notorium si aperte et clare apparet ; occultum si est ignotum, vel tantum paucis manifestum.

Hic quaestionem ponimus tantum de schismaticis formalibus et notoriis ; pro aliis schismaticis, valent argumenta quae attulimus loquentes de haereticis.

(1) *Sum Theol.*, II-II, q. 39, a. 1.

De Schismaticis formalibus et manifestis

Doctrina quae tenet schismaticos formales et manifestos esse extra Ecclesiam, fundamentum habet in S. Scriptura.

Christus dicens Ecclesiam suam esse « unum ovile », cuius oves sub uno Capite unum efficiunt ; et S. Paulus tradens Ecclesiam esse « unum corpus » et « unum Corpus Christi », affirmaverunt Ecclesiam esse unam, in qua nulla est divisio, scissura, schisma.

Ipsum verbum « schisma », iam a prioribus christianis adhibitum, clare nobis manifestat quid de iis qui nolebant subesse Summo Pontifici vel communicare cum aliis membris, sentirent ii christiani : putabant enim eos esse velut partes abscissas, separatas a reliquo corpore.

Argumentum clarum habemus in Traditione.

Patres, una voce, monent Christifideles ut unitatem servent cum capite visibili et cum membris, si partem velint habere in Regno Dei; ita v. g. S. Ignatius dicit : « Si quis schisma facientem sectatur, regni divini hereditatem non consequitur » (1). S. Cyprianus de Novatiano ad Antonianum scribit : « Quisquis ille est, et qualiscumque est, christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Iactet se licet et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus praedicet, qui nec fraternam caritatem nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit » (2) ; et S. Ioannes Chrysostomus explicans caput IV epistolae S. Pauli ad Ephesios, cum auctoritate affirmat : « Dico et protestor Ecclesiam scindere non mi-

(1) *Ad Philadelph.*, III, 3 ; Funk, *Patres Apost.*, I (1901) p. 67.
(2) Epist. LII, n. 24 ; ML 3, 790.

nus esse malum quam incidere in haeresim » (1). S. Hieronymus clare exponit : « Inter haeresim et schisma hoc esse arbintrantur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur ;.... ceterum nullum schisma non sibi aliquam configit haeresim, ut non recte ab Ecclesia recessisse videatur » (2). Denique S. Augustinus ait : « ... nec haeretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quae diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum » (3).

Etiam ex praxi Ecclesiae hoc clare apparet.

Quoties schismatici ad Ecclesiam redeunt, semper per quandam externam professionem subiectionis Auctoritati Ecclesiasticae recipiuntur in Ecclesiam : ergo antea extra erant.

Ita Cornelius Papa (anno 251) certiorem facit Cyprianum, episcopum Carthaginensem, aliquos in Ecclesiam rediise, qui communionem cum quodam schismatico homine habuerant (4).

Pelagius II episcopos schismaticos Istriae varis epistolis invitat ut ad unitatem Ecclesiae redire velint « quia quicumque in pace et unitate Ecclesiae non fuerit, Dominum habere non poterit » (5).

Item Ecclesia invitat omnes fideles ut orent pro haereticis et schismaticis : « ut Dominus Deus noster eruat eos ab erroribus universis et ad sanctam matrem Ecclesiam *revocare* dignetur » (6).

(1) Hom. XI, n. 5 ; MG 62, 87.
(2) *In Tit.*, III, 10. 11 ; ML 26, 598.
(3) *De Fide et Symb.*, c. 10, n. 21 ; ML 40, 193.
(4) Cf. Jaffe, *Regesta Pont. Rom.*, I (1888) p. 18.
(5) Epist. 3 ; ML 72, 709.
(6) *Missale rom.*, in liturgia diei Parasceve.

Ratio ex iam pluries dictis eruitur.

Homo per baptismum inseritur in Ecclesiam, cui copulatus manet etiam per vinculum hierarchicum et communionis. Ecclesia est unum corpus, cuius caput invisibile est Christus, et caput visibile, Summus Pontifex : omnia membra debent esse ordinato modo coordinata inter se et subordinata capiti : tantum hoc modo unitas potest haberi.

Ideo schismaticus vel quia subordinationem capiti non vult servare, vel quia cum aliis membris communionem habere recusat, extra Ecclesiam pertinaciter se ponit.

Utique schismaticus conservat characterem baptismalem, et nisi, hypothetice loquendo, sit haereticus, potest habere etiam fidem ; sed non habet vinculum communionis : non est cum Petro, capite visibili et fundamento Ecclesiae ; vel non communicat cum aliis membris et proinde non est in corpore, in quo omnia membra unum efficiunt : extra Ecclesiam est, membrum quod voluntarie a corpore Christi se rescidit.

C) De Excommunicatis

Excommunicatio est poena ecclesiastica a legitima Auctoritate inflicta et communiter definitur : est poena medicinalis qua baptizatus, delinquens et contumax a fidelium communione separatur (1).

Codex I. C. dicit : « Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium.... » (2).

Ante Codicem I. C., excommunicatio distinguebatur in

(1) Cf. Albertus Blat O. P., *Comment. C. I. C.*, V (1924) n. 84.
(2) Can. 2257.

maiorem et minorem : maior erat quae importabat sepationem a communione fidelium : minor quae habebat, tamquam effectum, privationem sacramentorum. In Codice I. C. nihil de hac distinctione, ubi e contra « excummunicati alii vitandi, alii tolerati », dicuntur (1). Historice haec distinctio Papae Martino V debetur, qui ad ansietates, inter fideles, tempore magni schismatis, sedandas, in Concilio Constantiensi, anno 1418, statuit vitandos habendos esse tantum illos qui nominatim vel iudiciali publica sententia aut tamquam notorii percussores clericorum, excommunicati fuerint (2).

Iuxta Codicem I.C. vero « nemo est vitandus nisi fuerit a sede apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto circa eum qui violentas manus iniecerit in personam Romani Pontificis, qui eo ipso vitandus est » (3).

Praeter poenas communes in excommunicatum vitandum et toleratum a Codice I. C. statutas, adsunt etiam poenae peculiares contra excommunicatum vitandum comminatae ; ita v. g.: excommunicatus vitandus repellendus est a divinis officiis ; si nequeat repelli, cessandum est ab officio ; dum toleratus « si passive assistat..... non est necesse ut expellatur » (4) ; sacerdos poterit applicare missam pro excommunicato tolerato, sed « si sit vitandus, pro eius conversione tantum » (5) ; insuper vitandus manet privatus « ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, mu-

(1) Can. 2258, § 1.
(2) Cf. *C. I. C. Fontes*, n. 45 ; Wernz, *Ius decretal.*, VI (1913) n. 181.
(3) Can. 2258, § 2.
(4) Can. 2259, § 2.
(5) Can. 2262, § 2, 2º.

nere », dum toleratus « post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.... manet privatus fructibus dignitatis, officii etc. » (1) ; cum excommunicato vitando « communionem in profanis.... fideles vitare debent » (2), non vero cum excommunicato tolerato.

Ex hoc apparet excommunicatos toleratos non privari omnibus bonis : unde hi videntur manere adhuc inter membra Ecclesiae.

Sed circa excommunicatos vitandos alia est sententia. Fere ab omnibus admittitur hos excommunicatos vitandos esse extra Ecclesiam (3). Non desunt tamen qui teneant hos manere in Ecclesia : ita Suarez, propter eius singularem sententiam circa rationem membri Ecclesiae ; ita recenter Dieckmann, qui affirmat hos excommunicatos, nisi simul sint haeretici vel schismatici, propter solam excommunicationem non esse extra Ecclesiam (4).

Nos communiorem sequimur sententiam et proinde dicimus :

Excommunicati vitandi non sunt membra Ecclesiae.

Certum est in potestate ligandi atque solvendi, a Christo Apostolis collata, contineri etiam potestatem eiiciendi extra Ecclesiam omnes qui nocumento sint aliis fidelibus. Christus enim monens discipulos, de correptione fraterna agens, dicit : « Si autem peccaverit in te frater tuus,

(1) Can. 2266.
(2) Can. 2267.
(3) Cf. S. Rob. Bellarminus, *De Eccl. Milit.*, III, c. 6 ; Domin. Palmieri, *De Rom. Pont.* in *Prol. de Eccl.*, n. 11 ; Card. Billot, *De Eccl. Chr.*, XII, § 2 ; Wilmers, *De Chr. Eccl.*, p. 401 ; De San, *De Eccl. et Rom. Pontif.*, n. 360-366 ; Ant. Straub, *De Eccl. Chr.*, n. 1274-1278.
(4) Cf. Suarez, *De Fide*, d. IX, s. 1, 13 ; Herm. Dieckmann, *De Eccl.*, II, n. 960.

vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos : dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (1).

Ut ex contextu apparet agitur de aliquo peccatore qui sit membrum Ecclesiae, secus ad iudicium Ecclesiae non deferretur, nec nomine «fratris» appellaretur. Nomine « ecclesiae » hic designantur apostoli ; nam immediate post Christus subiungit : « amen dico *vobis* »; nexus inter priora et haec verba, evidens est. Poena quae datur est poena quae completam importat separationem a tota Ecclesia : «sit tibi sicut ethnicus et publicanus » : sicut a Synagoga ethnici per se extorres habebantur, publicani vero per sententiam, cum quibus prohibebatur omne commercium : ita per sententiam ecclesiasticam, rebelles possunt rescindi a tota communitate et proinde fieri sicut ethnici et publicani, quibuscum nullum commercium licet amplius habere.

Quae poena coram Deo rata est et afficax ; nam statim Christus adiungit : « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo ; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo » (2).

Istis verbis amplissima datur Ecclesiae potestas ligandi atque solvendi : nulla adest limitatio ; unde potest extendi ad quaecumque ligamina sive ponenda sive solvenda quae fiant ad finem Ecclesiae melius obtenendum. Quapropter potestas lingandi continet potestatem iudiciariam et coactivam, cuius usus potest extendi usque ad separationem faciendam eorum membrorum quae nocumento sint aliis membris.

(1) Mt., XVIII, 15-17.
(2) Mt., XVIII, 18.

Idem argumentum deduci potest ex verbis Christi ad Petrum : « Tibi dabo claves Regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis » (1).

Apostoli hac potestate ita usi sunt ut revera aliquod membrum putridum e corpore Ecclesiae recidissent. S. Paulus, vi ordinariae potestatis a Christo habitae, iubet, ob crimen incestus, corinthium tolli de medio coetu et tradi Satanae : « Iudicavi... in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi » (2). Notanda sunt verba : « iudicavi... tradere huiusmodi Satanae ». Verba similia Apostolus adhibet in alia epistola de Hymeneo et de Alexandro loquens : « quam (fidem) quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt : ex quibus est Hymeneus et Alexander : quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare » (3). Isti erant publici et notorii haeretici ; Apostolus eos tradidit Satanae, id est ab Ecclesia declarat separatos ; simili modo hominem corinthium tradidit Satanae, seu ab Ecclesia separavit, et imperio

(1) Mt., XVI, 19.
(2) *I Cor.*, V, 3-5.
(3) *I Tim.*, I, 19-20.

tradidit diaboli: « in interitum carnis »; sed poena haec, quamvis inter omnes gravissima, iuxta Apostolum manet medicinalis, ut reus nempe ad poenitentiam et resipiscentiam adducatur: « ut spiritus salvus fiat ».

Ut ex contextu apparet, hic peccator corinthius erat membrum Ecclesiae; dicitur enim: « auditur inter vos fornicatio » (1); et reus erat peccati quod per se non separat ab Ecclesia; talem hominem Apostolus recidi a communitate iubet « quia modicum fermentum totam massam corrumpit »; modo solemni haec separatio fiat: « in nomine Domini, congregatis vobis et meo spiritu ». Tandem magna cum auctoritate S. Paulus concludit: « auferte malum ex vobis » (2); quia hunc hominem ipse tradiderat Satanae, fideles nullum omnino commercium cum eo habere debent.

Patres unanimiter docent Ecclesiam habere potestatem e suo corpore eiiciendi membra nociva et de facto hanc potestatem exercere. Ita Origenes dicit: « Vide ergo quia non solum per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed et per eos qui Ecclesiae praesident et potestatem habent non solum solvendi sed et ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis cum pro delictis suis a Christi corpore separantur » (3). Et S. Cyprianus ait: « ...spiritali gladio superbi et contumaces necantur dum de Ecclesia eiiciuntur » (4). S. Ambrosius notat: « ...et bene dicitur tradi Satanae qui separantur a Christi corpore... Nam et sequestrare oportet graviter lapsum ne modicum fermentum totam massam corrumpat » (1). S Hieronymus distinctionem facit inter excommunicatos, qui « per sacerdotes de Ecclesia propelluntur », et haereticos, qui « in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes » (2). S. Augustinus affirmat excommunicationem agere in Ecclesia, quod in V. T. interfectionem (3). Et S. Gregorius dicit: « Istud est corpus, extra quod non vivificat Spiritus... De hoc spiritu non vivit haereticus, non vivit, schismaticus, non vivit excommunicatus: non enim sunt de corpore » (4).

(1) *I Cor.*, V, 1.
(2) *I Cor.*, V, 13.
(3) *In Iud.*, hom. 2, n. 5; ML 12, 961.
(4) Epist. LXII, *ad Pompon.*, n. 4; ML 4, 371.

Doctrina haec comprobatur praxi Ecclesiae.

Iam Ecclesia primitiva, exemplum Apostoli sequens, e suo sinu reiiciebat non tantum haereticos et schismaticos sed et alios, criminum graviorum sontes.

Aliquando Summi Pontifices hanc poenam comminabantur, ad aliquem finem obtinendum. Narrat Eusebius Victorem Papam voluisse abscindere ecclesias recusantes in celebratione Paschatis sequi consuetudinem Ecclesiae romanae: « Verum haec non omnibus placebant episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet quae paci et unitati charitatique erga proximum congruebant » (5). Ut patet, non ius Summi Pontificis vocatur in dubium, sed tantum eius usus non placet.

In Concilio Arausicano I, anno 441 habito, datur modus et forma excommunicationis: « canonica instituta et Sanctorum Patrum exempla sequentes, ecclesiarum Dei

(1) *De Poenit.*, I, c. 11, n. 78. 79; ML 16, 490.
(2) *In Tit.*, 3, 10-11; ML 26, 598.
(3) Cf. *In heptateuc.*, V, q. 39; ML 34, 764.
(4) *In psalm. poenit.*, V, n. 1; ML 79, 602.
(5) *Hist. Eccl.*, V, c. 24; MG 20, 498.

violatores, auctoritate Dei et iudicio Sancti Spiritus, a gremio Sanctae matris Ecclesiae et a consortio totius christianitatis eliminamus quoadusque resipiscant et Ecclesiae Dei satisfaciant » (1). Concilium Ramense, anno 900, quibusdam poenam excommunicationis minitans, dicit : « ...ipsos a sanctae matris Ecclesiae gremio segregamus » (2).

Cum excommunicati a poena ecclesiastica liberantur, dicuntur *in sinum matris Ecclesiae recipi, redire,* et similia ; quod demonstrat antea eos extra Ecclesiam fuisse. Ita Gregorius VII de rege Henrico dicit : « ...tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam et sinum sanctae matris Ecclesiae recepimus » (3), et Innocentius III affirmat excommunicatum, post absolutionem, redire in gremium Ecclesiae (4). Etiam ultimis temporibus, Ecclesia utitur iisdem formulis, ex quibus apparet mens ipsius Ecclesiae. Ita v. g. Summus Pontifex Pius X, excommunicationis poena afficiens quosdam sacerdotes, dicit : « Supra nominatos.... sacerdotes ...excommunicamus, anathematizamus atque ab Ecclesiae communione segregatos.... habendos a catholicis universis.... vitandos esse praecipimus et solemniter declaramus » (5). Item S. Officium, die 8 novembris 1922, hoc modo excommunicationis poenam in quosdam sacerdotes iniecit : « ....de expresso SS.mi Domini nostri Pii Div. Prov. Pp. XI mandato, solemniter declarat atque edicit praefatos sacerdotes.... nominatim ac personaliter excommunicatione mulctari, e gremio Sanctae Dei Ecclesiae penitus eiici, omnibus publice excommunicatorum plecti poenis, vitandos esse, atque ab omnibus fidelibus vitari debere » (1).

(1) MANSI, *Sacr. Conc. novà et ampl. coll.*, VI, 441.
(2) MANSI, op. cit. XVIII, 183.
(3) *Registri*, IV, epist. 12 ; ML 148, 466.
(4) Cf. *Registrum de negot. Rom. Imp.*, ep. 90 ; ML 216, 1095.
(5) *A. A. S.*, an. III, p. 54.

Insuper in Rituali Romano haec est formula absolutionis ab excommunicationis poena : « ...restituo te communioni et unitati Ecclesiae et sanctis sacramentis Ecclesiae » (2).

Ex his omnibus possumus concludere hanc esse mentem Ecclesiae in excommunicatione danda : se velle membra nociva a corpore Christi resecare gladio anathematis ; per absolutionem vero membrum iam purificatum velle denuo recipere in sinum suum.

Ratio propter quam affirmamus Ecclesiam posse e suo gremio eiicere, et de facto etiam eiicere, eos qui indigni sint, facile patet. Ecclesia a Christo instituta fuit ut societas perfecta. Porro omnis societas potestatem habet non tantum recipiendi novos socios, sed etiam e suo sinu eiiciendi eos qui condiciones unitatis nolint servare et suis actibus potius in destructionem quam in aedificationem ipsius societatis sint.

Haec potestas etiam Ecclesiae Christi competit, secus in deteriore condicione esset aliarum societatum et etiam maxima damna ei obvenirent : hinc membrum aliquod malum et putridum posset impune corrumpere alia membra, hinc auctoritas ipsa impune vilipendi posset a membris. Quod certe non potest admitti.

Etiam ex effectibus huius excommunicationis patet nostrum assertum.

(1) *A. A. S.*, an. XVI, p. 593.
(2) *Rit. Rom.*, tit. 3, c. 3, n. 6.

Poena enim huius excommunicationis tamquam effectum habet privationem iuris ad sacramenta et privationem communicationis cum aliis membris ; sed si membrum aliquod non amplius retinet ius ad sacramenta et praesertim si nequit cum ceteris membris communicare, quomodo possumus id vocare realiter et actualiter membrum Ecclesiae ? Hoc in casu excommunicatus vitandus est velut civis qui civitate privatur et in exilium mittitur ; nam excommunicatus privatus fuit civitate ecclesiastica quia omnia sua iura amisit ; et velut in exilium mittitur, quia cum fidelibus nequit communicare.

Corollarium

Animadversio circa definitionem Ecclesiae

Circa definitionem Ecclesiae maxima est differentia inter acatholicos et catholicos.

Definitiones ab acatholicis datae ad tres classes possunt reduci :

1º) alii cum Donatistis dicunt Ecclesiam esse coetum iustorum ;

2º) alii cum Pelagianis affirmant Ecclesiam esse congregationem eorum qui nullum habent peccatum, ne veniale quidem ;

3º) alii cum Ioanne Wicleff, Ioanne Hus, Calvino etc., dicunt Ecclesiam esse congregationem praedestinatorum.

Inter catholicos quoad rem omnes conveniunt. Differentiae sunt potius aliquando circa modum concipiendi et determinandi extensionem nominis « Ecclesiae ». Ita v. g. Suarez, cum ponat rationem membri in sola fide, latius quam nos hoc nomen « Ecclesia » intelligit.

Inter omnes definitiones de Ecclesia, notissima est illa S. Roberti Bellarmini.

« Ecclesia est coetus hominum eiusdem christianae fidei professione et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum ac praecipue unius Christi in terris vicarii, Romani Pontificis » (1).

In hac definitione aliquid, magna cum reverentia, animadvertere liceat.

Imprimis non clare apparet necessitas baptismi, ut aliquis ad Ecclesiam pertineat. Et quia S. Bellarminus concedit valere posse, ut quis inseratur in corpus Ecclesiae, etiam baptismum invalidum vel tantum putativum, forsan S. Doctor intentione omisit innuere ad baptismum. Iuxta nostram humilem opinionem, forsan melius esset dicere : « Ecclesia est coetus hominum *baptizatorum* etc. ».

Insuper in definitione S. Bellarmini dicitur : « Ecclesia est coetus... eiusdem fidei professione... colligatus ».

Etiam hic — iuxta nostra opinionem — animadvertere debemus non sufficere tantum professionem externam fidei, sine fide interna. Unde melius esset dicere « Ecclesia est coetus...eiusdem christianae *verae* fidei professione.... colligatus », seu professione fidei non fictae, sed veracis, internae.

His animadversionibus positis, definitio Sancti Doctoris ab omnibus recipi potest.

(1) *De Ecclesia militante*, III, c. 2.

CONCLUSIO

De dignitate et de officiis membri ecclesiae

Ex omnibus iam dictis clara et fulgida splendet dignitas membri Ecclesiae.

Dum nostra inquisitio erat circa intimam Ecclesiae naturam, apparuit pulchritudo huius corporis Christi, quod est opus benignitatis Dei, ad cuius efformationem et conservationem tota SS.ma Trinitas concurrit.

Deus Pater, iam ante mundi constitutionem, Ecclesiam intendebat, et iam decreverat ut per eam homines salutem haberent.

Deus Filius in hunc mundum venit et Ecclesiam instituit, cui commisit omnia bona suae doctrinae et suae passionis.

Deus Spiritus Sanctus vitam supernaturalem in Ecclesiam infudit et semper infundit.

Vere Ecclesia est maximum opus Bonitatis divinae erga homines.

Sicut ad constitutionem et formationem Ecclesiae SS.ma Trinitas concurrit, ita etiam SS.ma Trinitas concurrit ad formationem uniuscuiusque membri.

Homo fit membrum Ecclesiae per vocationem Dei, qui, iam ante mundi constitutionem, amore singulari

dilexit nos « ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate » (1).

Homo fit membrum Ecclesiae, quia Christus, per baptismum, eum sibi incorporat et effectus redemptionis ei largitur.

Homo denique fit membrum Ecclesiae, quia Spiritus Sanctus eum vivificat per influxus continuos vitae supernaturalis.

Inserti in corpus Christi mysticum, participes efficimur gratiae Christi; Christus est caput, et bona capitis sunt bona etiam membrorum.

Per characterem signati fuimus sigillo indelebili et participes facti sumus sacerdotii Christi, et sic offerre possumus per Christum sacrificia munda et spiritualia, et simul adepti sumus potentiam passivam ad sacramenta : « vos autem genus electum, regale sacerdotium.... » (2).

Omnia membra in Ecclesia nobilia sunt, quia omnia ad bonum commune concurrunt. Omnes fideles enim cooperatores sunt s. hierarchiae in triplici munere docendi, regendi et sanctificandi. Ut scimus, consensus fidelium, debitis vestitus condicionibus, argumentum praebet in determinando deposito traditionis; aliquando Deus ex humilioribus membris suscitavit electos et sanctos qui s. hierarchiam adiuverunt in suo munere regendi, et in toto corpore velut motum excitarunt ad sanctitatem.

Hoc est principium in quo fundatur « Actio Catholica », quae nihil aliud est, ut dicit Summus Pontifex gloriose regnans, « nisi christifidelium apostolatus, qui duci-

(1) *Ephes.*, I, 4.
(2) *I* Petri, II, 4.

bus episcopis, adiutricem Ecclesiae operam praestat, eiusque munus quodammodo complet » (1).

Dignitas membri in Ecclesia multa officia secumfert, quia quo maior est dignitas eo maiora sunt onera.

Imprimis maxima debetur Ecclesiae reverentia : unde membrum nihil facere, nihil loqui, nihil etiam cogitare debet quae dedecori sit Ecclesiae Dei; e contra semper ad sanctitatem tendere debet, ut dignum magis in dies fiat tanto corpore.

Membrum debet esse vivum et consequenter activum.

Summus Pontifex Pius Papa XI quotidie, ut ita dicam, ad activitatem in Ecclesia omnia membra invitat; per orationem, actionem, sacrificium omnia concurrere debent ad praeservationem fidei et ad maiorem propagationem Regni Christi inter omnes homines.

Quae omnia toto corde faciemus si una cum reverentia amor in nobis erit erga hoc Christi corpus. Ecclesia est mater nostra quae nos genuit lavacro baptismali, quae nos pascit verbo salutis et pane vitae; quae spiritualiter nos mortuos ad vitam suscitat; quae in ultimo agone unctione sancta nos confortat; quae etiam in altera vita nos in purgatorio languentes confortat per preces et suffragia; et tandem in Regnum Dei gloriosum et immortale nos inducit. Amore ergo permagno nobis Ecclesia amanda est : amor noster filialis semper fulgeat, et pro ea, si necesse sit, etiam vitam nostram libenter offeramus.

Insuper natura membri Ecclesiae per oboedientiam demonstrari debet.

Ecclesia ius habet invigilandi omnibus fidelibus; hi autem praeceptum habent oboediendi semper non tan-

(1) *A. A. S.*, a. XXII, p. 163.

tum in rebus maximi momenti sed et in iis quae ab Ecclesia dantur ut normae directivae.

Hoc modo, reverentia, amore et oboedientia erga Ecclesiam, finem nostrum consequamur, « donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (1) ; ut « veritatem.... facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate » (2).

(1) *Ephes.*, IV, 13.
(2) ibid., IV, 15. 16.

INDEX

INDEX